IENTACVLA



REVERENDISS. DN.
THOMAE DE VIO CAIETAni, Cardinalis S. XYSTI, præclarissima LXIIII, notabilium sententiarum Noui Testamenti literalis expositio, in duodecim capita distincta, quæ totidem IENTACVLA Noui Testamenti, ratione operis initio reddita, inscribuntur.

LVGD. SVB SCVTO COLONIENSI. 1545

INDEX EORVM QVAE *in hoc opuſculo tractantur.*

In primo Ientaculo de verbis Domini circa ipſius ex hoc mundo tranſitum, tractantur Quæſtiones XIII.

Rima, Cur Chriſtus reprehendit ſuos diſcipulos dicẽtes: Vt quid perditio hæc? poterat enim iſtud vnguentũ vænundari multo &c.

Secunda Quæſtio, Quantum valeat excuſatio Domini: Opus enim bonum operata eſt in me: nam pauperes ſemper habebitis vobiſcum: me autem non ſemper habebitis.

Tertia, Quorſum tria dicta à Domino excuſationi Magdalenæ vngentis ipſum, adiecta: ſcilicet de ſepulturæ ſuæ præuentione, de perpetua memoria huius vnctionis in laudem Magdalenę futura, & ꝙ ipſa Magdalena fecit quod habuit.

Quarta, Quo pacto verba Domini ad diſcipulos pro emendo gladio, ſcilicet, Quando miſi vos ſine ſacculo & pera &c. ad literam verificentur.

Item ad quid Apoſtoli dixerint: Ecce duo gladij hîc. Et cur Dominus meminerit perſecutionis ſuæ, non loquens de ſui defenſione.

Quinta, Quàm conueniens fuerit hæc Domini ad Annam iudicem reſponſio: Quid me interrogas?

Sexta, Quàm conueniens fuerit Domini ad Annæ miniſtrum percuſſorem reſponſio: Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, ſi autem bene, quid me cedis? Item cur non reſpon-

derit Dominus Annæ ad interrogationem de discipulis.

Septima, Cur Dominus à Caipha adiuratus vt diceret si ipse esset Messias: non solùm se esse Christũ respondit, sed, Amodo videbitis filiũ hominis sedentẽ à dextris virtutis Dei &c. adiecit.

Octaua, Cur interroganti Pilato: Tu es rex Iudæorum? respõdit Dominus: A temetipso hoc dicis: an alij tibi dixerunt de me?

Nona, Cur interroganti Pilato: Quid feciſti? respondit Dominus: Regnum meum non est de hoc mundo &c.

Decima, Cur ex verbis Domini inferẽti Pilato: Ergo rex es tu? respõdendo subiunxit Dominus: Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mũdum, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.

Vndecima, Cur interroganti Pilato: Mihi nõ loqueris? Nescis quia potestatem habeo &c. respondit Dominus: Non haberes aduersum me potestatem vllam, nisi tibi desuper datum esset &c.

Duodecima, Cur interrogatus Dominus ab Herode in multis sermonibus, nihil omnino respondit: quum tamen affulgeret spes profectus.

Tertiadecima, Cur Pilatus hanc Domini causam super Crucem scripserit: IESVS Nazarenus rex Iudæorum.

In secundo de diuersis documentis de filijs Dei, tractantur Quæstiones quatuor.

Prima de verbis Pauli Apostoli ad Rom. j. de vnigenito filio Dei, quibus dicit: Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum

IESV Christi Domini nostri. Item expositio horum duorum ab Apostolo ibidem dictorum: scilicet, Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. &, Per quem accepimus gratiam & apostolatum ad obediẽdum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius.

Secunda, de verbis Ioannis Euangelistæ Io. j. de filijs Dei adoptiuis: Dedit eis potestatem filios Dei fieri: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Tertia, de verbis Pauli Apostoli j. ad Corin. xv. de baptismo quo generantur filij Dei, quum dicitur: Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Vt quid & baptizantur pro illis?

Quarta est de verbis eiusdem Apostoli ad Galat. iij. de hæreditate filiorum Dei per fidem repromissa, non per legem, quum dicitur: Lex ordinata per angelos in manu mediatoris. mediator autem vnius non est. Deus autem vnus est.

In tertio de diuersis scripturæ dictis de sacerdotio, tres tractantur Quæstiones.

Prima, de verbis Apocal. cap. v. Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes. & cap. j. fecit nos regnum & sacerdotes Deo & patri suo.

Secunda, de verbis Petri Apostoli in cap. ij. primæ suæ epistolæ: Vos autem genus electum regale sacerdotium, gens sancta &c.

Tertia, de verbis eiusdem Petri Apostoli in eod. cap. Ad quem accedentes, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini domos spiritales in sacerdotium sanctum: offerentes spiritales hostias acceptabiles Deo per IESVM Christum.

In quarto de nouem beatitudinibus Euangelicis præmittuntur earum tractationi quinq; quæsita.

Primum, cur Dominus in principio has beatitudines proposuit.

Secundo, cur multas.

Tertio, cur tot, id est nouem.

Quarto, cur pluraliter.

Quinto, an gradatim enumerentur.

Prima beatitudo Euangelica est hæc: Beati pauperes spiritu: qm̃ ipsorum est regnũ cœlorũ.

Secunda: Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.

Tertia: Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.

Quarta: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.

Quinta: Beati misericordes: quoniã ipsi misericordiam consequentur.

Sexta: Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.

Septima: Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.

Octaua: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiã: qm̃ ipsorũ est regnũ cœlorum.

Nona: Beati estis quum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos mentientes, propter me: gaudete & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

In quinto quinq; tractantur sententiæ.

Prima, Matth. xv. Munus quodcunq; ex me est, tibi proderit.

Secun

Secunda, ibidem: Omne quod in os intrat, in feceſſum emittitur.

Tertia, Luc. xvj. Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt: & qui iniquus eſt in modico, iniquus eſt & in maiori.

Quarta, ibidē: Si Moyſen & prophetas nō audient, neq; ſi qs ex mortuis reſurrexerit, credēt.

Quinta Ioan. j. Quotquot receperunt eum: dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.

In ſexto tractantur ſex.

Primum, verba Domini in Cœna: Non bibam de hoc genimine vitis vſq; in diem illum, quum illud bibam vobiſcum nouum in regno patris mei.

Secundum, verbum Domini ad Iudam in eadem cœna: Quod facis, fac citius.

Tertium, verbum Domini ad Petrum quum percuſsit Malchum: Conuerte gladium tuum in locum ſuū. omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.

Quartum, apud Marcum euangeliſtam: Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo: & tenuerunt eum &c.

Quintum, Erat autem paraſceue Paſchæ.

Sextum, apud Ioannem, Accipite eum vos, & crucifigite.

In ſeptimo tractantur tria.

Primum eſt apud Lucam, de duobus diſcipulis euntibus in Emaus: Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoſcerent.

Secundum, vnde ſcitur ꝙ Thomas tetigit manus & latus CHRISTI, vt doctores affirmant.

Tertium, Apocalyp. v. Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere diuinitatem.

In octauo declarantur de peccatis quinq;.

Primum, Matth. xij. Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: spiritus autem blasphemiæ non remittetur.

Secundum. j. ad Corinth. vj. Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.

Tertium. j. Ioan. vlt. Qui scit fratrem suũ peccare peccatum non ad mortem: petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis.

Quartum Apoc. iij. Vtinam esses calidus aut frigidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo: quia dicis, diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia miser es & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.

Quintum, Apocalyp. vlti. Qui nocet, noceat adhuc: & qui sordidus est, sordescat adhuc.

In nono declarantur quatuor.

Primum, Matth. xix. Erunt duo in carne vna: itaq; iam non sunt duo, sed vna caro.

Secundum, Matth. xxj. & Luc. xx. Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum.

Tertium, Luc. xiij. Ite & dicite vulpi illi: ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consumor: verũtamen oportet me hodie & cras & sequenti die ambulare: quia non capit prophetam perire extra Hierusalem.

Circa quod quæruntur tria. Primò, quorsum tendant hæc de Herode verba: quum in Euangelio non legatur q̃ ipse insidiatus fuerit CHRISTO. Secundò, quid sibi velit replicata hæc distinctio per tria tempora, hodie, cras, & tertia die.

die. Tertiò, quid significetur per illa verba, Quia non capit prophetam perire extra Hierusalem: quum Latina constructio nullam videatur habere significationem.

Quartum. j. ad Corinth. vj. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. omnia mihi licēt: sed ego sub nullius redigar potestate. & c. x. Omnia mihi licent: sed non omnia ædificant.

In decimo tractantur quatuor Domini dicta apud Ioannem.

Primum, Ioan. v. Si ego testimonium perhibeo de meipso: testimonium meū non est verū. quum tamen Ioan. viij. dicat: Si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum.

Secundum quoq; Ioan. v. Quomodo vos potestis credere, Qui gloriam abinuicem accipitis: & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?

Tertium, Ioan. xiiij. In domo patris mei mansiones multæ sunt: si quo minus, dixissem vobis: quia vado parare vobis locum. Circa quod fiunt tres quæstiunculæ. Prima, quid negetur per illa verba, Si quo minus. Secūda, quid sit illud quod affirmat Dominus cōditionaliter tamen, se fuisse dicturum discipulis, in illis verbis, Dixissem vobis. Tertia, quomodo Dominus vadat parare discipulis locum: quum ipse dixerit filijs Zebedæi parata esse electis loca à suo patre: & quum dixerit se in iudicio dicturum: Venite, possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi.

Quartum est Ioan. xvij. Et nunc clarifica tu me pater apud temetipsum, claritate quam habui priùs quàm mundus fieret apud te.

In vndecimo tractantur tria occultiora.

Primum est Ioā. x. quum Dominus postquàm

dixerat se esse verum Deum, Iudæis ipsum propterea lapidare volentibus, respondit scriptum esse: Ego dixi, dij estis &c. vbi videtur Dominus diuertere sermonem à deitate per essentiam, ad deitatem per participationem.

Secundum, ad Philip. ij. Qui quum in forma Dei esset, non rapinã arbitratus est esse se æqualem Deo: sed exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens.

Tertium, Apoc. iiij. Tu creasti omnia: & per voluntatem tuam erant, & creata sunt.

In duodecimo tractantur circa res gestas, quinq;.

Primum, Lucæ vij. quo pacto mulier peccatrix stans lauerit pedes Domini lachrymis.

Secundum, vnde constet ex Euangelio hanc mulierem peccatricem esse Mariam Magdalenam & sororem Lazari.

Tertium, cur Marci viij. dominus cæcum illuminauit paulatim: ita quòd primò imperfectè, dum dixit: Video homines ambulantes sicut arbores. & secundò impositione manuum perfectè vt clarè videret omnia.

Quartũ, cur Paulus Apostolus tam primæ ad Timot. iij. quàm ad Tit. j. tradens cõditiones requisitas ad Episcopum, tradit tantummodo conditiones positiuas (puta sobrium, prudentẽ &c.) & nunquam meminit conditionis comparatiuæ: scilicet qnòd sit dignior alijs.

Quintum, cur tentator CHRISTI in prima & secunda tentatione dixit, Si filius Dei es. in tertia autem non hoc dixit: sed ad maximum scelus ausus est CHRISTVM prouocare.

EXPLICIT INDEX.

CLEMENTI VII.
Pont. Max. Thomas de Vio S.

SAPIENTIAE *Diuinæ, Clemens septime Pontifex maxime mensam post perfectam peccatorum Summulã instruere quum Hungarica peregrinatio vetaret: ne ieiuna omnino mens manusque transiret, Ientacula quædam parare curaui. Absque ordine siquidem & delectu occurrentes nonnullæ per Nouum Testamentum sententiæ, literali sensu hîc declarantur. Nec propterea finem feci, quòd omnes declaratione dignas arbitrarer me complexũ esse: sed vbi obtulit se cõmoditas inchoandi cõmentaria Psalmorum iuxta literalem*

ſenſum, omiſſis Ientaculis conuiuio apparando vacãdum credidi. Non dedignaberis itaq; Pater beatiſſime, exiguum hoc munuſculum ſuſcipere: quandoquidem & mea omnia tuæ beatitudini debentur, & diuina eſt materia.

Felix Vale.

IENTACVLA
NOVI TESTAMENTI
THOMAE DE VIO CAIE-TANI CARDINALIS S. XYSTI.

OCCVRRVNT in primis circa verba Domini nostri Iesu CHRISTI, circiter ipsius ex hoc mundo transitum quæstiones quatuor. Prima est de verbis Domini in excusatione Magdalenæ: Quid molesti estis huic mulieri &c. Secunda est de verbis Domini ad discipulos pro emendo gladio: Quando misi vos sine sacculo & pera &c. Tertia est de respõsionibus Domini ad suos quatuor iudices: Annam, Caipham, Herodem, & Pilatum. Quarta est de causa ipsius Domini scripta: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.

CIRCA verba siquidem Domini pro Magdalena, admiramur primò cur reprehensi sint discipuli ægrè ferentes effundi pretiosum vnguentum in vnctionem pedum vnius pauperrimi prædicatoris tantam sanctitatem profitentis. Videntur siquidem rationabiliter indignati. Tum quia talis vnctio ad delicias nõn qualescunque, sed pretiosas spectare videtur magnorum nobilium. Et fortè nullus erat tam celsus, vt vteretur tam pretioso vnguento pro pedibus, sed pro capite. Christus autem ignobilis secun

secundum mundum(vtpote filius fabri & faber) & pedes eius vngebantur tam delicata vnctione. Tum quia hodie scandalizaremur,si videremus aliquem prædicatorem sanctæ famæ,permittere se deliniri huiusmodi delicijs pretiosis: multũ enim indecens iudicaremus. Tum quia discipulis quibus est mandatum vt æmulentur charismata meliora,incumbebat diuertere Mariam ab hac effusione vnguenti, propter opus euidenter melius,scilicet vt venderetur, & pretium daretur in pauperum eleemosynam.

Admiramur secundò quantum valeat excusatio Domini,Opus enim bonum operata est in me,nam pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Ex differentia nanque temporis habendi pauperes, & ipsum (quia illos semper, ipsum verò non semper essent habituri) non apparet vnde inferatur, seu vnde reddatur ratio quòd illa bonum opus operata sit. Etenim ex ista differentia non tollitur quin vnctio illa fuerit excessiua,vtpote delicioſa nimis, & impeditiua melioris boni, scilicet tantæ eleemosynæ in pauperes:pro quibus tantò magis solicitum oportet hominem esse,quantò nunquàm deficiunt,sed semper durant. Admiramur tertiò de alijs tribus verbis Domini adiectis,tanquàm impertinẽtibus ad excusationem Magdalenæ vngẽtis ipsum,quorsum hæc? Apposuit sepulturæ suæ præuentionem, apposuit perpetuam memoriam huius vnctionis in laudem Magdalenæ futuram,apposuit quòd fecit hoc quod habuit. Nihil autem horum excusat vnctionem Magdalenæ. Non primum: tum quia præter intentionem Mariæ vngentis erat quòd ad sepulturam referretur.opus autem iudicatur

catur bonum secundum intentionem operantis. non enim intẽdebat illa præuenire sepulturam, sed vngere viuentem Christum: tum quia etiam pro sepultura, excessiua erat vnctio tam pretiosa: in cuius signum, Nicodemus pro sepulturæ Christi officio mixturam aloes & myrrhæ, & non vnguentum nardi pretiosi attulit. Non secundum: quia ad euentum spectat subsequuta laus, non ad intentionem operãtis. Non tertium: quia omnino impertinens videtur illa appositio, quum nullus calumniaretur eam quasi feciſſet vnctionem de alieno, aut de necessario sibi: quorum vtrunque excluditur per hoc quòd fecit quod habuit, vt facere bene posset.

AD clariorem intellectum dominicæ sententiæ prænotanda est dispositio mulieris vngentis in animo suo, vt percipiatur quale fuerit illius hoc opus ex parte sua. Ipsa siquidem credebat Iesum esse verum Messiam: quum soror eius Martha dixerit Domino, Ego credidi quia tu es CHRISTVS filius Dei. multò enim magis ipsa Maria hoc credidit, quæ optimam partem elegerat. Credidit quoque eundem habere potestatem dimittendi peccata, iuxta verbum Domini ad eam: Remittuntur tibi peccata tua: fides tua te saluam fecit. Amabat quoque multum saluatorem: vt dictum sit de ea: Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Ex tam sancta igitur mentis dispositione erga Christum, videri facilè potest Mariam ad vnctionem istam processisse, vt multa simul exequeretur officia: scilicet humanitatis, gratiæ, ac religionis. Humanitatis quidem: quoniam mos erat in regione illa

VII

vnctionem exhibere. Vnde & Simon Pharisæus quasi reprehẽsus est à Domino quòd caput eius non vnxisset. Et sicut consonum erat inuitato Christo ad cœnam præparare epulas lautiores (quæ scilicet magnatibus solent parari) quando sic decebat inuitantem: ita arbitrata est Magdalena decere se exhibere in vnctionem tanti viri inuitati delicatum ac pretiosum vnguẽtum. Gratiæ verò: quoniam memor recepti beneficij, remissionis scilicet peccatorum vngendo aliàs Christum, debitricem se arbitrata est, vt iterum quàm melius posset vngeret Iesum. Vnde primùm pedes, ex quorum priore vnctione veniam hauserat, deinde caput, à cuius ore verbũ & veniæ & vitæ toties perceperat, non solum vnxit, sed quodammodo abluit, pro quanto versando vas vnguenti, effudit illud super caput: vt Euangelistæ testãtur. Nec putauit pretiosum aliquod reputandum ad referendam gratiam de tanto beneficio. Religionis autem: quoniam Messiæ Dei filio offerebat vnctionem illam in ipsius Messiæ secundum assumptam carnem corporale refrigerium: & propterea putauit, & bene, oportere esse optimam ac pretiosissimam huiusmodi vnctionẽ.

Ex quibus omnibus simul collectis, manifestè apparet Mariam secundum rectæ rationis iudicium elegisse in huiusmodi delicata & pretiosa vnctione bonum ac laudabile opus deuotionis, pijque obsequij in dominum Iesum Christum: & propterea discipulos indignatos de hoc, meritò à Domino reprehensos, quòd molesti essent mulieri illi, dicendo: Vt quid perditio ista? Non enim est vnguenti perditio, vsus ille vnguẽti ad quem tot virtutes incitabãt: qui pro gratia referenda, pro pietate, proque religione opportunus erat.

erat. Quod verò ad excusandos discipulos primò affertur (quia nimis delicata ac pretiosa vnctio erat respectu tam pauperis, & pedum præsertim) excluditur per hoc quòd Iesus erat & credebatur verus Messias, ac per hoc dignior omnibus hominibus. Et neque hoc, neque quodcunque aliud vnguentum erat excessiuum respectu illius, & pedum eius. Quicquid enim cuicunque excellentissimo homini potest exhiberi, minus est vt condignum sit ad vsum corporis ipsius Messiæ & pedum eius. Extabat nihilominus spiritalis ratio vngẽdi pedes, quæ dicta est.

Quod deinde subiungitur de rationabili discipulorum scandalo, excluditur per idem: quia si hodie videremus verum Messiam testibus tot miraculis, teste tunc Lazaro præsente, qui ex mortuis veniens testabatur illum esse verũ Messiam, hoc est regem regum, & dominum dominantium (vnde multi ex Iudæis credebant in Christum) non scandalizaremur rationabiliter: sed rationabiliter admiraremur & stuperemus quòd dignatur seipsum sic exinanire, vt istis nostris vnctionibus deliniatur, vt à muliere vngatur, vt istiusmodi refrigerijs egeat. Irrationabiles autẽ homines sumerẽt cum Iuda occasionem scandali. Quod denique subditur de melioris boni æmulatione (quia melius fuisset vnguenti pretium in pauperes erogatum) à domino excluditur: vt patebit declarata responsione Domini. Sed & ex dictis excluditur: quoniam opus tantæ gratiæ, pietatis, & religionis, non est minus bonum quàm eleemosyna illa fuisset in pauperes: imò tanto maius bonum fuit, quãto Christus præstat omnibus pauperibus, quantò caput mẽbris, quantò dominus seruis. Arguendi igitur di-

scipuli erant. Ad admirationem de ratione redditā à Domino, quare opus vnctionis huius non fuerit prætermittendum propter pauperes: dicitur quòd quia discipuli non solum prætulerant eleemosynam, sed vituperauerant illam vnctionem, dicendo, vt quid perditio ista? ideò Dominus vtrunque confutando, primum asserit Mariam feciſſe opus bonum, & hoc contra illud, vt quid perditio ista? Deinde non fuisse hoc prætermittēdum propter eleemosynam faciendam: quia pauperes semper haberent &c. & hoc contra illud, Potuit enim vnguentū istud venundari, & dari pauperibus. Et quidem quòd opus illud fuerit bonum, dominica responsio in singulis clausulis probat. Primùm, ex illa præpositione in, dicendo, In me. Vbi recolito aliud esse credere Deum, & aliud credere in Deum. Primum siquidem commune est bonis & malis. Secundum autem proprium est bonorum: quia est actus fidei formatæ. Et similiter operari aliquod bonum opus, commune potest esse bonis & malis. sed bonum opus operari in Christum, proprium est bonorum: quia significatur quòd operando quis tendit in Christum, quod est charitatis progressus. Dicendo ergo quòd Maria operabatur bonum opus in me: monstrauit opus illud esse meritorium, & à charitate procedens. Deinde ex ratione comparationis ad eleemosynam, ex qua vtrunque simul manifestatur.

Et si subtilius fuerit considerata, apparebit quòd aliud primo occursu sensus offert, & aliud interius portat. Nam prima fronte ratio dominica ex duplici differentia inter eleemosynam & hoc humanitatis officium sibi exhibitū, docet non fuisse vnctionem istam prætermittendam.

dam. Vna differentia est inter tempus instans, & expectans: quia scilicet tempus faciendi eleemosynam non vrget nunc, sed expectat: quoniam semper est: tempus autem exhibendi mihi huiusmodi humanitatis officia, nunc instat: quia non semper me habebitis in præsentia corporali carnis passibilis in qua sum modo vobiscum, & non solum non semper, sed paucissimis diebus sic me habebitis: fuit enim hoc ante sex dies Paschæ, hoc est sabbato ante ramos palmarum. Altera differentia est inter certam personam & indeterminatos pauperes: quia scilicet obsequium hoc debitum est certæ personæ, mihi scilicet: eleemosyna autem debita est non alicui certo pauperi, sed pauperibus indeterminatè. Vtranque siquidem differentiam dominica ratio manifestè affert, dicens: Nam pauperes (non hunc vel illum) habebitis vobiscum semper, & non instat nunc necessitatis articulus: me autem (ecce certa persona) non semper. Quasi diceret: nunc tantum habebitis, scilicet vobiscum in carne passibili & indigente his obsequijs conuersantem. Ex ambabus autem differentijs simul iunctis relucet & communis doctrina, quòd humanitatis officia quæ alicui certæ personæ exhibere postulat certum tempus, non sunt prætermittenda propter communia debita quæ indeterminatè debemus proximis. Non vult cœlestis magister vt non prætermittat conuiuium nuptiale, officium sepulturæ, politicum conuictū cum ciue, & similia: vt fiant eleemosynę. Ipse enim qui est author gratiæ, non venit destruere sed perficere rationem naturalem. Relucet & specialis ratio facti. Nam ex hoc ipso quòd tēpus illud quo talis tantusq; hospes officiosè tra-

ctari posset, præteribat: posthabendi erant pauperes non tunc instantes, quibus aliunde & tũc, & aliàs poterat bene fieri. Vnde liquet redditam esse rationem, & quòd opus fuit bonum, & quòd præponendum fuit eleemosynæ pauperum, quæ ex illo pretio potuisset fieri.

Continet autem interius penetrata hæc ratio ratione personæ demonstratæ per illud pronomen me, superfluentem causam non solum bonitatis, sed excellentis proiectionis huius vnctionis. Tempus nanque illud quod verbum caro factum, inter homines homo passibilis, humanisq; officijs subditus, dignatum est conuersari: articulum constituebat vrgentis necessitatis ad exhibendum illi quæcunque possibilia officia & obsequia, nullius pretij, nullarumq; deliciarum finibus limitanda, quantum est ex parte ipsius meriti, & humani debiti. Vnde nulla ex parte vnctio ista minus bona fuit, sed præferenda vndique curæ pauperũ: quæ cura quamuis debeat semper hominem solicitare, non tamen ex alio debito officio auellere: & multò minus tollere debet hoc opus longè excellentius.

Ad admirationem tertiam de appositis tribus à domino sententijs in hac causa, respondetur. Et circa ea quæ de sepultura dicuntur, notandum est vnctionem istam relatam esse ad Christi sepulturam ex dominicis verbis, triplici relatione: hoc est per significationem, per præuentionem, per durationem. Significauit enim vnctio illa Christum dominum sepeliendum esse: testante domino apud Matth. Mittens hæc mulier hoc vnguẽtum in corpus meum, ad sepeliendum me fecit: hoc est, sepelibilem me indicauit. corpora enim sepelienda tunc temporis vngebantur.

Præ

Præuenit quoque officium vnctionis pro sepultura vnctio illa : testante domino apud Marc. Præuenit vngere corpus meum in sepulturam. Quamuis enim Maria ipsa nesciret, Dominus tamen sciebat quòd impedienda erat ab vnctione ipsius Christi defuncti : quia prius resurrexit quàm potuerit ab illa vngi : & propterea nunc præueniſſe dicitur officium sepulturæ. Durauit quoque vnctio illa vsque ad sepulturam (dicente Domino apud Ioannem: Sinite illam vt in diem sepulturæ meæ seruet illud) pro quanto vnctio illa vltima fuit quantum ad Mariæ vnctionem: & sic per negationem succedentis, seruata vsque in diem sepulturæ. Tanquàm si apertè diceret : Sinite illam : quia ista computatur pro tota vita mea vsque ad sepulchrum : ita quòd nec viuo, nec mortuo mihi exhibebit amplius officium vnctionis. Totus autem huiusmodi sermo referens vnctionem hanc ad sepulturæ officium, à clementissimo magistro dictus est: vt intelligerent discipuli non quare Magdalena vngebat, sed quare ipse dominus susciperet vnctionem illam. Magdalena enim intendebat officiũ humanæ pietatis, gratiæ & religionis impendere Christo : sed Christus opus illud suscipiebat vt sepeliendus : tanquàm si apertè diceret, Non putetis quòd vt delicatosus vngor. nam vngor vt sepeliendus, vngor vt quàm citius moriturus : non est tempus hoc deliciarum, sed mortis & sepulturæ. Et licet Mariæ animus ad hoc non tenderet ex se : vt motus tamen & directus à spiritusancto ad hoc tendebat significandum, præueniendum, ad seruandum, nesciens tunc quo ad hoc quid faceret. Quia igitur hæc verba non sunt apposita ad

alteram excusationē Magdalenæ, sed ad rationē ex parte Domini quare permiserit se vngi, non oportet mirari quorsum hæc. Potest nihilominus hæc sententia referri ad Magdalenæ excusationē, intelligendo illam vt sit pars prioris sententiæ, vtpote declaratio illius dicti, Me autem nō semper habebitis. Tanquàm expresserit quid intenderit per ly nō semper, modicū valde tempus: quia proximus sum sepulturæ: ita quòd per hanc adiectionem declaratus est articulus instantis proximæ sepulturæ, & soliciti timoris fouentis animum Mariæ ad hanc vnctionem. Doctrina siquidem Domini de ipsius morte ac resurrectione, erat adeò publica, vt etiam ad Iudæorum pontifices peruenerit: quū dixerint Pilato: Domine recordat[illegible]ius, quia seductor ille adhuc viuens dixit [illegible]ost tres dies resurgam. Et quòd tunc proxima esset Domini mors, Magdalena cum alijs mulieribus audierat: vt patet ex eo quòd quum dixisset paulò antè Dominus, Ecce ascendimus Hierosolymam: & filius hominis tradetur &c. & tertia die resurget: mater filiorum Zebedæi petijt vt filij sui sederēt ad dexterā & sinistram ipsius in regno resurrectionis eius. Ex eo igitur quòd Maria quæ multum diligebat CHRISTVM, tēpus mortis CHRISTI proximum meditabatur, solicitaq; erat ne fortè amplius similem cōmoditatem officiosè obsequēdi CHRISTO non haberet: oblata tunc occasione conuiuij Lazaro resuscitato, vtendum duxit. Et sic etiam ex parte soliciti timoris adhibentis quasi calcaria Mariæ, vnctio ista nonnullum respectum ad sepulturam CHRISTI habuit: & quia tempus vrgens ad vnctionem cōstituebat, ad opus illud bonum reddendum pertinebat.

Nec

Nec obstat si non tam pretiosa vnguenta ad vsum essent sepulturæ, sed myrrha & aloë: quoniã ad sepulchra regũ pretiosiora adhiberi credibile est: & dignitas Messiæ supra omnes & reges & summos sacerdotes erat & est: ita vt nihil quantũcunq; alijs pretiosum, ipsi poterat cõdignè exhiberi. De appositâ autè futura memoria huius vnctionis, facilè patet quòd ad cõmendationẽ operis Magdalenę spectatur. Tum quia licet laudari præter intentionẽ Mariæ fuerit, esse tamen opus tale vt sit laude dignũ, non est præter intentionem rectè operantis: quoniam intendit opus virtutis, ac per hoc laude dignum. Tum quia laudandum esse ab Euangelicæ perfectionis viris, maximum est testimonium boni operis peracti. Monstrauit ergo Dominus vnctionem illam non solum esse irreprehensibilem, & præponendam tunc curæ pauperum, sed optimum fuisse opus: vtpote & dignũ perpetua laude, & quòd perpetua esset prosequendum commendatione in Dei Ecclesia. Quorsum autem verba quæ solus Marcus interserit (scilicet, Quod habuit hoc fecit) tendant, non est difficile videre. Ad occultam siquidè spectant tam Mariæ mentem, quàm ipsius Domini dignitatem. Murmurabant discipuli de pretiositate vnguenti, respondet Dominus apud mulieris illius animum non esse vnguentum hoc pretiosum, sed si pretiosius habuisset, pretiosius effudisset. tanti me facit. sed quia nõ habuit pretiosius: quod habuit, hoc fecit. Acsi apertè diceret, Vos arguendam putatis de excessu, & tamen secundũ veritatem dignitatis meæ & rectã fidem ac deuotionẽ huius mulieris, excusanda est quod nõ plus fecit: sed hoc quod habuit, fecit. Est igitur hæc domini

sententia & ad Mariæ opus commẽdandum, & ad discipulos confutandum non impertinẽs, sed opportuna. Hæc de prima quæstione.

Circa secundam quæstionem de verbis domini ad discipulos tempore passionis imminẽtis. (Quando misi vos sine sacculo & pera, nunquid aliquid vobis defuit? Dicunt ei, Nihil. Ait illis, Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram. & qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat gladium. oportet enim impleri de me: Et cum sceleratis reputatus est) quæstio non spernenda consurgit, quo pacto hæc verificentur ad literam: quandoquidẽ oportet ea ad literam verificare: quoniam & dominus ad literam loquitur de sacculo & pera, vt patet: ergo & de gladio: & discipulis de gladio ad literam intelligentibus & respondentibus, Ecce duo gladij hic: annuit Dominus dicens, Satis est.

Literalem igitur sensum intuendo, admiramur hanc Domini doctrinam. Primùm, quia videtur instruxisse discipulos vt sumerent arma defensiua pro sui defensione in imminente sibi persecutione Iudæorum: dum vendendam etiam tunicam pro emendo gladio consulit, & passionem propriam pro ratione assignat: quia ipse vt iniquus tractandus est, sicut & fuit tanquàm latro quæsitus & captus, & demum cum latronibus crucifixus.

Deinde quia videtur docuisse discipulos vt tempore persecutionis arma similiter caperent defensiua. hoc enim sequitur ex exemplo sui. Si enim contra persecutionem ipsius capitis sumẽda sunt arma, consequens est vt contra persecutionem membrorũ armati progrediamur. Exemplum, inquit, meum dedi vobis, vt quemadmodum

dum ego feci, & vos faciatis. Neutrum autē horum bene sonat, sed Christianorum pias aures offendit: & vtrunque à gestis CHRISTI & sanctorum in suis persecutionibus dissonat: vt patet. Videtur denique doctrina hæc reuocare præcepta prius ab ipsomet discipulis data: scilicet, Si quis percusserit te in vnam maxillam, præbe illi alteram. & similia. Et confirmatur: quia sicut mutauit hîc Dominus præceptum de non portandis sacculo & pera, olim prohibēdo, nunc concedendo: ita consequenter dicendum est quòd mutauit præcepta olim data de omittenda defensione armata, concedendo discipulis vt si contra eos insurgerent homines, resisterent armata manu. cōstat autem hoc prædicatoribus Euangelicis, quales erant Apostoli quibus loquebatur Dominus, non conuenire: quamuis in perfectioris vitæ Christianis licitum sit.

AD hanc quæstionem respondendo, dicitur quòd hæc Domini verba ad literam non dirigebantur ad defendendū Dominum IESVM in imminente sibi persecutione: nec discipuli intellexerunt sumēda sibi fore arma pro defensione CHRISTI. Manifesto vtrunque: & primò eo quòd simul eandē protulit sententiam de rebus tribus: scilicet sacculo, in quo portantur pecuniæ: & pera, in qua portantur victualia: & gladio, quo protegimur ab inuasoribus. Constat autem quòd ad persecutionem illam nō erat opus sacculo neque pera: quum ipsi non essent persecutionem passuri, sed seruandi ab ipso domino erant solo verbo. Si ergo me quæritis, sinite hos abire. & ipse dixerat: Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam: vt Ioannes testatur. Sicut igitur non dicebat vt tunc sumerent sac-

culum & perã, ita nec dicebat vt ſumerent tunc gladios. Secundò ex eo quòd dicentibus diſcipulis, Ecce duo gladij hîc: reſpondit, Satis eſt. Si enim intendiſſet quòd tunc ſumerent arma, non dixiſſet ſatis eſſe ad defenſionem ſui. Conſtat nanq; non ſatis eſſe quòd duos habere gladios dixerint, ad defenſiuè armandum viros vndecim cõtra cohortẽ Pilati, & miniſtros Iudæorum cum gladijs & fuſtibus. Et ſimiliter conſtat non ſatis eſſe neceſsitati tantæ, vt vendẽda eſſet tunica ad emendum gladiũ, habere duos gladios inter tot perſonas, ſi propter imminentem tunc perſecutionem debuiſſent tunc ſinguli nõ habentes gladium vendere tunicam vt emerẽt gladiũ. Quia igitur dixit ſatis eſſe, monſtrauit ſe nõ requirere gladios defenſiuos ſui cõtra perſecutionem imminentem. Tertiò ex eo quòd Petrum qui non expectata Domini reſpõſione gladium pro magiſtri defenſione eduxit, cõpeſcuit: Conuerte, inquit, gladium tuum in vaginam. Si enim intendiſſet inſtruere vt pro eo gladio pugnarẽt, non retraxiſſet diſcipulum gladio pugnantem. Clariſsimè quoq; hoc idem patere poteſt ex voluntaria paſsione (vnde tunc etiam dixit, An nõ poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum?) & mille locis ſcripturę. Sed hæc ſint allata ex illo proprio loco in illa materia & in illa ſententia. Secundum autem (ſcilicet quòd diſcipuli non intellexerint de gladio ſumẽdo pro defenſione CHRISTI) habetur ex eo quòd venientibus ſatellitibus ad capiẽdum CHRISTVM, diſcipuli videntes quod futurum erat, interrogauerunt Dominum: Domine, ſi percutimus in gladio? Si enim intellexiſſent inſtructos

ſe

se fuisse vt gladio pugnarent pro defensione CHRISTI, non dubitassent, non petissent, Domine si percutimus in gladio? Non igitur intellexerunt Domini verba Apostoli ad hunc sensum vt pugnaturi gladio essent pro defensione CHRISTI. Ad quid autem prædixerint, Ecce duo gladij hîc, post dicetur: sicut etiam manifestabitur cur Dominus meminerit persecutionis suæ, non loquens de sui defensione.

Quia igitur dominica hæc verba ad ipsius domini defensionem non dirigi manifestum ex litera est, consequens est vt ex ipso Euangelij textu literalis sensus sumatur. Prænota ergo in hac litera quatuor. Primum est diuersitas temporis præteriti & præsentis, denotata per ly quando, & ly sed nunc. ait enim Saluator, quando misi vos: & subdit, sed nunc. Secundum est officiū prædicationis, de quo fit mentio secundum præteritum tempus: & nulla fit de eo mētio in præsenti tempore: ait enim Saluator: Quando misi vos. procul dubio ad prædicandum: vt patet in Euangelij historia Matth. Ioan. & Mar. vj. Et quum dicit, sed nunc qui habet sacculum, nihil dicit de missione ad prædicandum. Tertium est pro ratione huius doctrinæ assignari, quòd ipse Dominus cum iniquis deputādus tunc erat.

Quartum est modus dicendi: quia scilicet non dirigitur nouus sermo ad Apostolos in secunda persona, vt olim dixerat. non enim dicit, sed nūc tollite sacculum & peram, & emite gladios: vt olim dixerat, nihil tuleritis in via, non sacculum &c. sed ad tertiam personam conuertendo sermonem dicit: sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam, & emat gladium. Ex his habētur primo

mo duo tempora : ſcilicet prædicationis, & perſecutionis, nõ cuiuſcunq; ſed illius qua CHRISTI diſcipuli cum iniquis reputandi eſſent. Ad deſignandum ſiquidem talis perſecutionis tempus propoſuit talem perſonam in perſona ſua: propter quod non meminit crucis aut mortis, ſed deputationis cum iniquis. Habentur ſecundò duo genera Chriſtianorum: ſcilicet prædicatorum in apoſtolis, & aliorũ minus perfectorum in tertia perſona ſignificatorum. Intendit igitur ad literam Dominus docere, quòd mandata data olim de non vehendo ſacculum & peram, ad tempus prædicationis ſpectant: tempore autem perſecutionis, & præcipuè quando reputabũtur vt iniqui, licitum erit cuicunque volenti munire ſe & ſacculo & pera, & gladio defenſiuo. Et diuerſitatis ratio in prompu eſt : quia quũ licitum eſt ad prædicandum ire, prædicationiſq; officio incumbere, & inuenientur neceſſaria, retribuentibus auditoribus temporalia pro ſpiritualibus: & ſicut de neceſſarijs, ita nec de vita debetis eſſe ſoliciti. tempore verò quo Chriſtiani vt iniqui reputabuntur, non inuenientur qui retribuãt pro ſpiritualibus temporalia: & ſicut de pecunia & victu licitũ erit curã habere, ita etiam de vitæ conſeruatione: quæ per gladiũ aduerſus inuaſores conſeruari quandoque poteſt. Eſt ergo ſermo dominicus de tempore perſecutionis indeterminatè : & ſimiliter de diſcipulis indeterminatè : ita quòd iſtud aduerbium temporis nunc, non demonſtrat determinatè illud tempus paſſionis CHRISTI, ſed indeterminatè tempus perſecutionis, præcipuè quando reputabuntur iniqui : & ſimiliter illud relatiuum qui, non refert determinatè apoſtolos, ſed indeterminatè

Chri

Christianũ: & docet quòd tempore persecutionis licitum est curam vitæ, victus & pecuniæ opportunæ suis discipulis habere. Et bene nota quàm optimè respondeant noua hæc CHRISTI documenta priscis. Etenim sicut documenta priora (scilicet nihil tuleritis in via) non sunt mandata, sed libertates edendi & bibendi, quæ apud auditores verbi Dei sunt: ita documenta hæc non sunt mandata, sed libertates curam gerendi vitæ & opportunorum. Docuit enim pius magister licita ambo esse: consuluit autem vt facerent sicut ipsum videbant facere. Et apostoli quidem ac sancti perfectioris vitæ imitati sunt gesta Domini: imperfectiores autem vtuntur libertate sibi à Domino declarata.

AD obiecta autem quantum oportet respondendo, dicitur quòd Dominus deputationem suam cum iniquis, pro ratione attulit duorum. Primò temporis persecutionis, & nõ suæ defensionis. Ac si apertè diceret: EX quo ego cum iniquis deputabor, tempus erit vt & mea membra cum iniquis deputentur. Secundo necessitatis: quasi dicat: Tempus erit quo indigebitis his auxilijs: quia ego ipse relinquar deputatus cum iniquis. Si enim ego destitutus ero, ita vt cum iniquis deputer ad mortem: mei quoque discipuli deserentur similiter: & ideò concedo volentibus recurrere ad hujusmodi humana adminicula vti posse illis. Apostoli autẽ tanquàm nõ planè penetrãtes verba Domini (quoniam adhuc non erat eis apertus sensus vt intelligerent scripturas, & pari ratione verba dominica) dixerunt: Ecce duo gladij hîc, tanquàm aliquid pertinens ad propositum sermonem de necessitate gladij: quum tamen impertinẽs esset

respon

responsio ad intentionē CHRISTI. Vnde & Dominus nō respondit, Tollite illos gladios vobiscum: quos non secum, sed ibi esse dixerant. nec respondit: Satis sunt: scilicet duo gladij. sed impersonaliter dixit, Satis est & doctrinæ huic meæ & solicitudini vestræ. ac si iuxta vsitatum loquēdi morem diceret: Sufficit hæc locutio: deponite hanc solicitudinē. Et verè sic erat agendum: quoniā verba dominica dicebātur ad hoc vt post passionem Domini imperfectiores, & in casu quando expediret, etiā perfectiores libertate hac vterētur. Clarissimè itaq; patet, quòd nō est Dominus hortatus discipulos ad sumendum gladios pro ipsius Domini defensione. Sed quòd nec consuluerit discipulis suis vt sumerent defensiua arma cōtra suos inuasores, patet ex dictis: quoniam aliud est consiliū dare, aliud est docere quid licitè facere possent. Consuluit siquidem ipse discipulis facto sui exempli vt arma nō sumerent defensiua: tum retrahendo Petrum à percussione: tum aperiendo quòd plus quàm duodecim legiones angelorum haberet in promptu, si vellet illis vti: tum voluntariè patiendo se tanquàm latronē capi, & cum iniquis deputari ad mortem vsq; crucis. Et hoc imitandū intellexerunt Apostoli: iuxta illud Petri: CHRISTVS passus est pro nobis, vobis relinquens exēplum vt sequamini vestigia eius. Docuit verò dictis verbis licere & imperfectioribus, adminiculis se humanis tempore persecutionis fulcire, non solum sacculi & peræ, sed gladij detractiui: & perfectioribus in casu quo expediret ad humana confugere subsidia. Hac namque doctrina fretus apostolus Paulus, ad adminiculum humanæ appellationis ad Cæsarem confugit, quando hoc

expe

expedire iudicauit. Et rursus à parata contra ipsius vitam conspiratione Iudæorum, tribuni ope se eripi procurauit: quia similiter casus erat in quo expediebat sic suam corporalem vitam adiuuare. Nihil ergo dissonans sanctorum gestis docuit Dominus noster: sed id quod in casu etiã à perfectioribus fieri inculpabiliter posset, dignatus est per seipsum manifestare. Patet quoque ex dictis non esse priora Domini præcepta per hanc doctrinam reuocata: sed declaratũ est quòd prisca illa de voluntariæ patiẽtiæ operibus, non sic sunt intelligenda, quin pro loco & tempore liceat CHRISTI discipulis modera ta requirere humana admínicula. Ex hac nanq; doctrina Domini, iuncta priori, didicimus consideranda esse loca, tempora, ac occurrentia: & quando expedit præbere percutienti alterã maxillam, & quando expedit tueri ac adiuuare nosipsos. Nec est verũ quòd reuocata sint hinc documenta priora de non portandis sacculo & pera: sed documẽtis illis adiuncta sunt alia concernentia aliam temporis dispositionẽ: ita quòd hæc iuncta illis docent nos quòd quando expedit, sine sacculo & pera: & quando expedit, cum sacculo & pera procedamus: & quòd illud præcipuè tempore prædicationis seruandum intelligamus, hoc autem tempore necessitatis. Et hęc de secunda quæstione.

CIrca tertiam quæstionem de responsionibus Domini nostri IESV Christi coram quatuor iudicibus: occurrit primò duplex admiratio coram Anna.

Altera est de illa respõsione, Quid me interrogas? nã apparet & superflua & nõ decẽs personam

nam illam tunc. superflua quidem: quia interro ganti Pontifici IESVM de doctrina & de discipulis eius, sufficiebat dixisse doctrinam suam esse publicã: & propterea examinandos esse publicos testes qui audierant docentem: & non oportebat apponere, Quid me interrogas? Indecens autem: quia Dominus IESVS tunc sic gerebat vt subditum. Non est autem subditi arguere iudicem, præsertim de defectu tam paruo, scilicet quòd nõ debebat ipsum interrogare de doctrina tam publica. Et hæc indecentia tanta visa tunc est, vt propterea vnus ministrorum percusserit Domini maxillam, dicens: Sic respondes Pontifici? Altera est de ista responsione data percussori: Si malè locutus sum, testimoniũ perhibe de malo: si autem bene, cur me cedis? Videtur Dominus non seruasse consilium quod discipulis dederat. Si quis te percusserit in vnã maxillam, præbe ei alteram. non solum namque non præbuit alteram, sed contra percutientem argumento rationis insurrexit. debebat enim ipse seruare quod seruari ab alijs voluit. Occurrit secundo admiratio similis coram Caipha: pro quãto adiuratus Dominus vt diceret si ipse esset Messias: nõ solum respõdit se esse CHRISTVM, sed adiunxit, Amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris Dei &c. Apparet siquidem superflua hæc appositio. Nam si opportuna fuit, aut propter ipsos Pontifices & seniores: Et hoc non: tum quia Dominus dixit tunc quòd ipsi audientes se esse CHRISTVM, nec crederent, nec ipsum dimitterent: tum quia ex hoc facti sunt peiores: dicentes, Blasphemauit: reus est mortis &c. Aut propter alios: & hoc non: tum quia alij iam aliàs hanc doctrinam

de ad

de aduentu CHRISTI ad iudicium audierãt: tum quia ibi nõ erant alij, nisi fortè ministri, qui etiam persequebantur Dominũ vt patet de ministris & ancillis infestis Petro. Occurrit tertiò admiratio coram Pilato quadruplex; iuxta quatuor Domini verba ad Pilatũ. Prima est circa illam responsionem, A temetipso hoc dicis: an alij tibi dixerunt de me? apparet liquidè impertinens vt interroganti Pilato IESVM, Tu es rex Iudæorũ? respondeatur, si à temetipso hoc dicas. Non enim videtur quomodo hoc spectet ad propositã interrogationem, aut quorsum tendat. Secũda est circa responsionem subiunctam: Regnum meum non est de hoc mundo. videtur enim ꝙ Dominus voluerit se iustificare corã Pilato: tanquàm diceret, Ego non me impedio de regno huius mũdi, de quo accusor. Hoc autẽ non apparet consentaneum esse spontaneæ oblationi suiipsius ad patiendum, & subeũdam sententiam mortis & crucem. Qui enim studet coram iudice iustificare suã causam, nõ quærit condẽnari, sed potius euadere. Tertia est circa apposita verba, Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundũ, vt testimonium perhibeã veritati &c. Nam appositio ista ad aliquod trium ordinata est. Vel ad iustitiam suam aperiendam. & hoc (vt dictũ est) videtur incõueniens: quia non consonat tam voluntariæ passioni. Vel ad instruendum Pilatum. & hoc erat superfluum: quia ille gentilis erat: & principium conuertendi ipsum non erat hinc sumẽdum. Vel ad propositam mãteriam de qua erat sermo: scilicet de regno suo. & hoc non apparet quomodo veniat ad propositum, & qua fuerit prudentia dictum. Quarta est circa vltimam Domini responsionem ad Pilatum: Non

haberes aduersus me potestatem vllam, nisi tibi desuper datum esset &c. Apparent enim minus decentia verba: tum quia satis generalia pro responsione darentur Pilato dicenti, Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Tum quia nihil nouum aut ignotum, aut necessarium sonantia, vt propter ipsa dicenda Dominus silentium cœptum rũpere deberet. Quis enim ignorabat Pilatum habere potestatem à superiori quum cõstaret quòd non erat princeps, sed præses deputatus à Romanis? Tum quia incompactè iuncta cum sequentibus: scilicet, Propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. in quo nanq; communicet hæc sententia de maioritate peccati, cum præcedente de potestate Pilati, non apparet. Et multo minus apparet quomodo hæc ex illa inferatur cum nota causalitatis: vt in litera fit inferendo, Propterea qui me tradidit &c.

V. Occurrit quartò admiratio coram Herode, cur interrogatus Dominus ab Herode in multis sermonibus, nullum verbum protulit: quum tamen spes esset boni aliquid efficiendi apud Herodem, qui fidem Iudæorum profitebatur: & de ipso scriptum est quòd libenter Ioannem Baptistam audiebat, & audito eo multa faciebat. & Euangelista dicit quòd tunc gauisus est viso IESV, & quòd multo tempore desyderauerat ipsum videre &c. Ex his enim videtur quòd rationabilius fuisset, quæ dixit Pilato gentili, dicere Herodi fideli: vtpote qui de Messia fidem habebat &c.

AD quæstionem hanc de responsionibus Domini, respondendum est ordine quo processit ambi

ambiguitatum series. Vnde à verbis dominicis coram Anna pontifice inchoando, dicitur illa Domini verba ad Annam, quid me interrogas? non superflua nec indecentia, sed opportuna decentiaq; illum tunc fuisse. Quæ vt clarè intelligas, perspice Dominum vidisse in interrogatione à pontifice facta duo implicari: scilicet rem, & personam. Res de qua interrogatio fiebat: erat doctrina cum discipulis. persona autem interrogata, erat ipse IESVS. Et quò ad vtrunq; oportuit Dominum sua responsione satisfacere. vnde de doctrina respõdit primò quòd erat in publico posita: tum ex loco publico, synagoga scilicet & templo: ita quòd locus non solùm erat publicus, sed publicus ad officium docendi: doctrinæ siquidem publicæ locus erat templum aut synagoga. Tum ex frequentia communi: quia illuc omnes Iudæi conueniebant. Tum ex qualitate temporis: quia semper: quando scilicet tempus docendi expostulauit: quando in templo, in templo. & quando in synagoga, in synagoga. Tum ex qualitate dictorum: quia in occulto locutus sum nihil. Deinde dixit qui essent de sua doctrina interrogandi, dicens, Interroga eos qui audierunt. Et protulit vniuersos vt publicos testes, non mortuos, non absentes, non nescios, aut immemores, sed præsentes & scientes: Ecce, inquit, ipsi sciunt quid dixerim. Quò ad personam verò interrogatam respondit, Quid me interrogas? Quod dupliciter exponitur. vel quid hoc est cur me interrogas? Et sic petit causam non quare pontifex interrogat, sed quare interrogat ipsum IESVM de doctrina: quum non appareat causa quare ipse IESVS debeat interrogari de

sua doctrina, quæ est in publico posita: ac per hoc interrogandi sunt illi qui audierũt & sciunt illam: sicut si doctrina fuisset posita in libro, non esset author interrogãdus de doctrina qualis est, sed liber examinandus. Nec hæc petitio dedecebat subditum: quum Iob petitionem similem Deo porrexit, Indica mihi cur me ita iudices? Et iuxta hunc sensum quia Annas interrogauerat de doctrina publica Dominum, qui non debebat ante examinatam ab alijs doctrinæ qualitatem examinari: ideo humiliter subditus Dominus petit causam quare ipse examinatur: vt si fortè ex causæ manifestatione oporteret aliquid respondere, posset parêre. Et sic verba hæc decentia & opportuna inueniuntur.

Vel quid me interrogas? hoc est, quid est quod à me interrogãdo scire quæris? Et sic petit rem interrogatam: sicut Saulus petijt à CHRISTO rem præceptam dicens, Domine quid me vis facere? Et iuxtá hunc sensum supponebat humilis subditus pontificem interrogare ipsum de aliquo quod oporteret ab ipso IESV nosse, & non de ijs quæ oportet aliunde cognosci: ac per hoc quia interrogatio de doctrina, pro quanto quærebat qualitatem doctrinæ, ad alios spectabat qui audierant: & non apparebat pro quo alio articulo spectaret ad ipsum IESVM: ideò humiliter petit, Quid me interrogas? Acsi apertè diceret: Quia nõ apparet quid est illud quod ego interrogatus respondere debeam, aperi quid est quod à me scire vis. Fortè enim aliquem particularem articulum pontifex manifestasset se quærere: ad quem respondisset. Et sic percipere clarè potes non solùm opportunam ac decentem, sed humilem reuerentemq; fuisse hanc

dom-

dominicam responsionem: quamuis pontificis minister similis suo pontifici arguerit illam superbię, nec dignũ arbitrans dominum IESVM vt etiam peteret quod ad seipsum spectabat nosse, vt posset pontifici satisfacere.

Ad alteram autem admirationem de responsione data percussori, respondetur quòd Dominus IESVS ita exhibebat se subditum, & patientiæ exemplum, vt meminisset se esse doctorem mundi. Docuerat discipulos vt percutienti vnam maxillam, præberent alteram: & nisi ipse dignatus fuisset interpretari sua documenta (quòd scilicet intelliguntur pro loco & tempore, & non in omni tempore, loco, euentu, negotio &c.) quis crederet interpreti alteri? Si ipse Dominus præbuisset alteram maxillam: quis se vnquam verum CHRISTI discipulum credere potuisset, nisi semper & vbique simile quid fecisset? & similiter nisi tollenti tunicam dedisset & pallium? & sic de similibus. Modò autem vbi Dominus facto suo non præbuit alteram maxillam, interpretatus est documenta sua huiusmodi non semper & vbiq; debere exequi, sed pro loco & tẽpore &c. Oportuit ergo Dominum respondere, & non præbere alteram maxillam, propter nostram doctrinam. Respondendo quoque authoritatem iustorum supra suos persequutores in se monstrandam suscepit, arguendo percussorem quòd nec in modo loquendi excesserit, dicens, Si malè locutus sum. non dixit, si malum locutus sum, sed si malè: quia etiam ille reprehenderat ipsum de modo loquendi, dicens, Sic respondes? Vndiq; ergo docemur in hac dominica responsione: dum & documenta interpretata, & autho-

ritatem iustorum insinuatam ab ipso nostro capite habemus. Et si quæratur: cur non respon derit Dominus aliquid ad interrogationem de discipulis, dici potest vel quòd responsio de doctrina erat quoq; responsio de discipulis: quoniam ex qualitate doctrinæ pendet qualitas discipulorum. Vel quòd percussio maxillæ interruperit responsionem Domini interrogãtis, Quid me interrogas?

AD admirationem de verbis Domini coram Caipha, Amodo videbitis filiũ hominis &c. dicitur ꝙ summè necessaria tunc fuerũt, & propter totum mundum, & propter ipsos pontifices ac seniores, vt inexcusabiles se nosse possent.

Ad cuius clariorem intelligentiam sciendum summariè est fuisse à prophetis de Messia prædicta sex. Primum, de vita sancta: propter quod miserunt ad Ioannem Baptistam, quærendo si ipse erat CHRISTVS. Secundum, de doctrina diuina: propter quod etiam Samaritana dicebat ꝙ Messias docturus esset omnia. Tertium, de miraculorum multitudine & excellentia: propter quod Iudæi dicebant, CHRISTVS quum venerit, nunquid plura signa faciet quàm quæ hic facit? Quartum, ꝙ ipse esset redempturus & saluaturus populũ Israel: propter quod vsq; hodie Iudæi expectant Messiam: vt educat eos de captiuitate, & magnificet eos. Quintum, quòd ipse esset rex potentissimus: imò rex regum, & dominus dominantium. Vnde Magi quærierũt, Vbi est qui natus est rex Iudæorũ? & Nathanaël & turba in die palmarum CHRISTVM regem appellarunt. Sextum, quòd ipse pauper humilisque conuersaturus esset cum hominibus: & morte turpissima cum sceleratis puniendus.

Vnde

Vnde Dominus discipulis Ioannis respondens de seipso, post enumerata potentiæ suæ miracula, æstimationem pauperum, & mortis suæ ignominiam subiunxit, dicens: Pauperes euangelizantur: & beatus qui non fuerit scandalizatus in me, scilicet ob mortem meam.

Quia igitur hæc de CHRISTO prædicta fuerant: & in ipso Domino conspiciebantur impleta tria prima: & sextũ pro parte executum: & pro reliqua parte, scilicet passione & morte tunc inceperat & fiebat: restabat vt de alijs duobus (scilicet quarto & quinto) Dominus manifestaret pontificibus quod in ipso erant implenda. Et quia erant implenda post resurrectionem suam, & non tunc: ideò Dominus & hæc implenda, & ordinem simul mõstrare dignatus est, dicens quòd ipse venturus est iterum cum gloria & potestate à dextris Dei &c. vbi se Saluatorem & regem omnium aperuit. Et dicens: Ex hoc autem erit filius hominis &c. monstrauit quòd intercedente passione & morte exaltandus esset ad dexteram Dei, & venturus cum gloria. Fuit igitur valde necessarium vt Dominus mysterium duorum aduentuum suorum apertè distingueret: & ad primum spectare vitæ sanctæ, pauperis, humilis &c. conuersationem cum hominibus, cum diuinæ doctrinæ & miraculorum excellentia, & passione ac morte ignominiosa: ad secundum verò resurrectionem, saluationem manifestam non solùm animarum, sed corporum, regiam dignitatem, dominium vniuersale &c. insinuaret. Tum propter omnes qui aduenturi erant saltem per Euangelium: quia mysterium duorum aduentuum occultum valde erat, intantùm vt etiam dæmones videatur

latuisse. nam si cognouissent, nur quam Dominum gloriæ crucifixissent. Tum propter ipsos senes: quia tunc Dominus conspiciebatur ita abiectus, subditus, derelictus, vt nec cogitabile videretur quòd ipse esset futurus rex potentissimus saluaturus populum. Et ideo præmonuit tunc eos quòd per hanc abiectionem ac subiectionem transiturus erat ad dexteram Dei, & iudicaturus orbem cum potestate &c. vt sic quantum in se erat instrueret pontifices & senio tes, vt si vellent, possent respicere: nullamq; excusationem ignorantiæ prætenderent: quare non aperuit nobis mysterium duorum aduentuum Messiæ: quum interrogauerimus & adiurauerimus eum. Eratq; tunc opportunum tempus manifestandi mysterium hoc, quando interrogatio & adiuratio facta à pontificibus & optimatibus, responsionem non habuisset completam & claram, nisi duorum aduentuum mysterium fuisset apertum: & quando opus quod tunc exercebatur, vt verbo manifestaretur exposcebat. Tunc enim quia causa IESV quasi impij iudicabatur, meruit vt causam & iudicium vniuersi orbis acciperet.

AD admirationem corã Pilato quadruplicem iuxta quatuor Domini verbã, dicitur ordinatè. Et ad primam de illis verbis, A temetipso hoc dicis? respondetur quòd ratio verborũ fuit, vt Pilatus gentilis capax fieret responsionis dandæ ad quæstionem propositam, Tu es rex Iudæorum? Oblataq; IESV nihilominus rationabilis est occasio interponendi hæc verba, antequàm respõderet ad quælitum. Occasio siquidem fuit: quia IESV Domino introducto in prætorium, pontifices manserunt extra, ne contamina

taminarentur ingrediendo domum viri gentilis
durante solennitate paschali: & Pilatus ceremo-
nijs eorũ condescẽdens, exiuit ad eos, auditurus
quam accusationẽ afferrent aduersus IESVM.
Pontifices autẽ accusauerunt eum ꝙ se CHRI-
STVM regẽ fecisset. Pilatus autẽm ingressus in
prætoriũ sine Iudæis, interrogauit IESVM, Tu
es rex Iudæorũ? Quia igitur Dominus IESVS
absens fuerat quũ fuerat accusatus à Iudæis, oc-
casionem rationabilẽ habuit quærendi à Pilato,
an ex se, an ex Iudæorũ ore interrogationẽ hanc
faceret. Ratio verò verborũ talium fuit, ne Pila-
tus falleretur à senioribus Iudæorũ callida accu-
satione vsurpati tituli regij. Si enim Pilatus ex
seipso de regio titulo inquireret, quum Pilatus
esset gẽtilis, & nullũ reputaret hominis regnum
nisi de hoc mundo, interrogando, Tu es rex Iu-
dæorum? planè interrogaret de regno mundano
& rege, quales sunt alij reges: & non oportuis-
set Dominũ respondendo loqui de regno quod
non est de hoc mũdo, sed aliter respondere. Sed
vbi Pilatus interrogat ex accusatione Iudæo-
rum, qui ipsum ideò regem dicebant se fecisse,
quia dicebat se CHRISTVM, & regnũ Mes-
siæ non erat de hoc mundo, ideò prudentissimè
Dominus antequàm respõdeat, interposuit an lo
queretur ex se, an ex ore Iudæorũ: vt confitens
Pilatus se loqui ex ore Iudæorum, intelligeret
propriam vocem, audiendo à Domino æquiuo-
cationem regni inter regnum Messiæ, de quo
loquebatur Pilatus ex ore Iudæorum, nesciens
propriam vocem: & regnum mundanum, de quo
putabat Pilatus accusationem fieri: & sic ca-
pax fieret responsionis futuræ, tanquàm audis-
set: Tu putas facere officium tuum inquirendo

de vſurpato titulo regio ſecundum regna huius mundi: ſcito q̃ regnum Meſsiæ de quo accuſant me Iudæi, nõ eſt tale. Ad ſecundum autem de verbis illis, Regnum meũ non eſt de hoc mũdo: dicitur q̃ aliud eſt iuſtificationi cauſæ ſuæ ſtudere, vt euadatur ſententia, & aliud eſt iuſtificare cauſam ſuam, quantum ſufficit ad tollendam apparentem occaſionem ſcandali. Dominus IESVS corã Pilato nõ ſtudebat iuſtificationi cauſæ ſuæ vt non damnaretur, qui ad hoc venerat, vt morte turpiſsima afficeretur: ſed quoniam ex hoc ipſo, quòd ſeipſum affirmauerat CHRISTVM, ac per hoc regem, nonnulla occaſio poterat apparere Pilato gẽtili cogitandi q̃ Dominus IESVS aſpiraſſet ad regnũ Iudæorum, & ideò prædicaret populo: ideò Dominus IESVS hãc quæ apparere poterat ſcãdali occaſionẽ tollere curauit, diſtinguẽdo regnũ Meſsiæ ſeu ſuũ à regno aliorum regũ penes cauſam & effectum. Penes cauſam quidẽ: quia regnum eius nõ eſt de hoc mundo. non dixit, non eſt in hoc mundo: ſed non eſt de hoc mundo. Regnum enim aliorum eſt de hoc mundo. Nam eſt aut à natura. Et hoc vel vt regnum patrisfamilijs, qui naturaliter eſt rex in domo ſua: vt in principio mundi erat. Vel vt regnum eorum qui naſcuntur reges hæreditario iure: vt filij & hæredes regũ. Aut ab intellectu adiuto arte vel induſtria: vt ſunt ij qui vigentes ingenio, induſtria multa ſe ad regnum prouehunt. Aut à potentia: vt tyranni. Aut à voluntate: vt ſunt ij qui per electionem ad regnum perueniũt. Regnum omnium horum eſt de hoc mundo, quia ab ijs quæ huius mundi ſunt, cauſatur. Sed regnum CHRISTI nõ eſt ex hoc mundo; vtpote ex nulla huiuſmodi cauſarum

sarum veniens. Sed vt Apostolus promulgauit, factus est obediens vsq; ad mortem Crucis; propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen: vt in nomine IESV omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Et propterea Dominus dixit Pilato, Regnū meum non est de hoc mundo. Et manifestauit hoc ex affectu: quia si ex hoc mundo esset regnū meum: ministri mei vtiq; decertarent vt nō traderer Iudæis. Si quærerē regnare, fecissem vt ministri mei, sequaces mei decertassent & adhuc decertarent, vt non traderer voluntati Iudæorum. quod tam lōgè fuit, vt nullus vnquam nec Ioseph ab Arimathia, nec Nicodemus, nec Lazarus, nec quispiam vnico etiam verbo certauerit pro IESV, pendente eius causa corā Pilato. Itaq; ex hoc affectu percipere facilè potes Pilate, q̄ regnum meum nō est de hoc mundo: quòd nō quæro populum auertere, vt regē me habeāt. Et ex hac Domini sentētia intantum apparentia scandali in mente Pilati sublata est, vt exierit ad Iudæos, dicens se nullā causam mortis inuenire in eo. Ad tertiam admirationem de subiunctis verbis: Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum vt testimonium perhibeam veritati &c. respondetur quòd hæc verba ordinantur ad propositam materiam de regno CHRISTI: & ad idem tendūt quò priora verba. Et sunt conuenientissimè inducta & ex parte materiæ de qua erat sermo, & ex parte personæ ad quam sermo dirigebatur. Ex parte siquidem materiæ: nam sermo erat de regno non ex hoc mundo, & quòd IESVS erat rex non ex hoc mundo. Hæc autem figmenta reputantur à sapientibus huius mundi: & tanquàm

tanquàm conficta abijs qui religionis curam gerunt propter populos &c. & ideò Dominus veritatem proponit se adeò tueri, vt venerit in mundum, non vt adinuentiones humanas prædicet, sed vt veritati testimonium perhibeat. Ex parte verò Pilati quia oportet eruditorem ex communibus sibi & auditori, & quantum potest ex gratis auditori procedere, vt sic capax fiat doctrinæ. Christo autem & Pilato non erat communis ratio scripturarum, nec religionis cultus. sed solummodo naturalis mens ac per hoc veritatis amor. nihil enim communius ac amabilius est hominibus secundum mentem, quàm sit veritas. Meritò ergo à veritatis studio processit, suasurus viro gentili quòd non erat figmentum id quod de regno suo non de hoc mundo dixerat. Duplicauit autem significationem ingressus sui in mundum, per natiuitatem & aduẽtum (dicens, Ego natus sum & veni in mundum) propter duas in se naturas: vt homo enim natus est: vt Deus verò venit in mundum, Deus homo factus. Et quoniam testimonium Christi de veritate non erat ab omnibus suscipiendum fide debita, subiungit discernendo suscepturos à non suscepturis, ex diuersa habitudine ad veritatem, dicens, Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam: hoc est, quicunque amator, inquisitor, susceptor, tutorque est veritatis, non in hac vel illa materia (puta Geometria, Physica &c.) sed veritatis simpliciter, ita quòd nulli vero repugnet: audit vocem meam. omnis siquidem talis est ex veritate, hoc est, ex parte se tenet veritatis, & ex veritate venit, tanquàm exemplatum ab exẽplari Oportuit autem Dominũ apponere hæc verba de auditoribus suis: vt hinc

possit

posset intelligere Pilatus duo, scilicet & qualitatem eorum qui audiebant ipsius Domini doctrinam, & sequaces illius erant, quòd scilicet erant homines non vana sectantes, sed veritatem amantes ac sectantes, & qualitatem regni sui, scilicet quòd est regnum veritatis: ita vt dignatus sit Dominus dicere de regno suo non solum negatiuam, scilicet non est ex hoc mundo: sed insinuare affirmatiuam, scilicet quòd est regnum veritatis: & simul articulum alium à Iudæis obiectum (scilicet quòd subuertebat ac seducebat populum) tacitè elidere eadem ratione qua articulum de vsurpato regio titulo excluſit: & ad innocentiam discipulorum tuendam. Ex hoc enim quòd ipse soli veritati operam dabat: & ex veritate erant qui eum audiebant: manifestè sequitur quòd nulla erat seductio, nulla subuersio, nullus ad malum, nullus ad vana prouocabatur: sed tota Christi prædicatio, totum Christi regnum, ex veritate, & in veritate, & ad veritatem erat. Poterat ex hac Domini sententia Pilatus occasionem discendi à tantæ famæ magistro accipere: sed quum interrogasset, Quid est veritas? non expectata responsione exijt ad Iudæos: vtpote qui non curabat discere à Christo. Ad admirationem demum quartam coram eodem Pilato de responsione illa, Non haberes aduersus me potestatem vllam, nisi tibi desuper datum esset: dicitur quòd hæc verba Domini non sunt verba generalia, sed singularissima, ac valde nouam, occultam, singularemq; CHRISTI innocentiam significantia. Inter Christum enim & reliquos homines hæc erat differentia, quòd reliqui homines habebant superiorem iudicem ex duobus capitibus (scilicet

&

& ex parte ſuperiore: quia ſic à Deo ordinatum eſt: iuxta illud Apoſtoli: Omnis poteſtas à Deo eſt: quia quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt. & ex parte inferiore: hoc eſt ex proprio peccato, ſaltem originali, ex quo incidit homo vt ab homine punibilis eſſet.) Chriſtus autem quia nullius omnino peccati particeps erat, nihil ex parte ſua habebat, vnde poteſtas quæcunque humana haberet aliquid contra eum: & propterea Pilatus ex ſola parte ſuperiore poteſtatem habebat aduerſus eum. Singulariſsimam ergo ſuam innocentiam Dominus ſignificauit per hanc reſponſionem, dicens quòd nullam aduerſus ipſum haberet Pilatus poteſtatem, niſi ei Pilato datum eſſet deſuper. Dixit deſuper, & non dixit ex Romano imperio, aut Cæſarea authoritate: vt comprehenderetur prima cauſa, diuina ſcilicet diſpoſitio, cum ſecundaria, quæ erat poteſtas Romani imperij. Acſi apertè diceret, Quòd habeas contra me poteſtatem non ex de merito meo, ſed quia es præſes. Et hinc optimè cum nota cautelalitatis inferuntur ſequentia verba, Propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. propterea, quia ſcilicet innocens ego ſum, qui me innocentem tradidit tibi tanquam malefactorem: maius peccatum habet. Tu quidem peccas ſciens quòd per inuidiam tradiderunt me tibi ſacerdotes, & non reſpiciens: ſed illi qui cauſa principaliter ſunt, maius peccatum habent. Et quòd iuxta hunc ſenſum intellexerit Pilatus Domini verba, teſtatur Euangeliſta dicens quòd exinde Pilatus volebat dimittere Ieſum. ex audita quippe Ieſu innocentia cum proprio peccato, mouebatur Pilati animus ad dimittendum Ieſum.

Ad

AD admirationem coram Herode, quare Dominus non responderit: dicitur quòd Euangelista nullam explicans specialem interrogationem ab Herode factam, sed per verba generalia narrans Herodem interrogasse Dominum in multis sermonibus, simulq; narrans quòd sperabat videre miraculum aliquod à Domino Iesu fieri, insinuauit interrogationes Herodis nõ fuisse iudiciales, sed curiosas. eadem etenim curiositate qua mouebatur ad miraculum aliquod videndum, inducebatur ad proponendum Domino quæstiones curiosas: & propterea Dominus sicut noluit vti potentia sua ad facienda miracula: ita noluit vti scientia sua ad satisfaciendum curiositati Herodis: instruens per hoc nos vt & potestate & scientia vtamur ad ædificationem, & non ad curiositates, aut quascunq; alias vanitates. Non suberat ergo causa respondendi Herodi curioso, sicut affuit causa respondendi Pilato iudicialiter inquirenti: qui nescius de vero regno Messiæ, poterat scandalizari, vt dictum est. Tacuit ergo Dominus coram Herode, vt haberetur & tractaretur ab Herode vt fatuus: quod & subsecutum est. Herodes quippe vir secũdum mundum prudens, conferens audita de Iesu ex fama, & obiecta à pontificibus, præcipuè quòd faciebat se Messiam, cum tanto Iesu silẽtio coram se interrogante in multis sermonibus, quibus vsus potuisset ipsius Herodis beneuolentiam acquirere, & tueri se contra persecutores suos, causam habuit cogitandi quòd Iesus esset vanus (vtpote non loquens corã magnis viris, sed coram vulgaribus) & eò amplius quòd viderat Ioannem Baptistam prudenter secum loquentem, Iesum autem neç ad interrogata sua respondentem

tem cernebat: censuitque quòd esset vt fatuus tractandus: & sic illusi veste alba. Sed saluator altissimo consilio se illudi voluit: vt mundus hinc videret quòd non sapientibus huius mundi vijs, non astutijs, non industrijs humanis traxit ad suam fidem mundum: sed viæ eius ad conuertendum ad suum regnum mundum, fuerunt tales vt sit habitus fatuus à principibus & sapientibus huius mũdi. Propter quod ab omnibus iudicibus voluit reputari imò tractari vt fatuus, non verbo, sed multiplici facto illusionis: nam à pontificibus & Herode & Pilato iudicatus & punitus est vt fatuus. Sciebat enim quòd sapientiæ seu astutiæ maximæ attribuitur facere se caput nouæ legis populorum: & ideo hanc de se opinionem auferre studuit tot proprijs derisionibus: vt vel sic crederemus diuinum opus esse fidem Christi. Hæc de tertia quæstione.

CIrca quartam quæstionem de scripta Domini Iesu causa (Iesus Nazarenus Rex Iudæorum) nonnulla dubitatio oritur. Tum quia in multis, quatuor scilicet causis fuerat Dominus accusatus: scilicet de tributis non dandis Cæsari, de seductione populi, de blasphemia scilicet quòd filium Dei se fecit, & de læsa maiestate, quòd se Regem facere curabat. Tum quia de nulla causa legitur Dominum se iustificasse nisi de ista, scilicet de regno (vt patet in Euangelio) ac per hoc minus videtur quòd ista debuisset scribi super crucem, vtpote purgata. Et cõfirmatur: quia Pilatus qui scripsit causam, postquàm discussit hanc causam, pronuntiauit Iesum non esse reum mortis: ac per hoc non esse reum læsæ maiestatis. Mirum est igitur quòd scripsit hanc causam.

Ad

AD hæc dicitur quòd ex quatuor capitibus oportuit causam hanc scribi. Tum ex parte pontificum, tum ex parte causarum, tum ex parte Pilati, tum ex diuina dispositione. Ex parte quidem Pontificum alia fuit causa impellens eos ad mortem Domini Iesu, & alia fuit causa quam proposuerunt Pilato, vt Dominum Iesum damnaret. Nam causa mouens pontificum animos ad Domini Iesu mortem, fuit amor propriæ dignitatis & authoritatis, ne Romani tollerent locum eorum. Quum enim temporibus illis multi quasi prophetæ insurgerent, & populos ad se conuerterent (vt Act. v. Gamaliel refert primò de Theodate, & deinde de Iuda Galilæo: & de Ioanne baptista, Iosephus dicit Herodem ipsum cepisse, quia timebat concursum populi. quod non solū potuit simul esse verum cum causa incestus relata ab euāgelio, sed consonat euangelio: tum quia Dominus audito casu Ioannis secessit, quasi causa communis ei & Ioanni fuerit, scilicet concursus populorum ad eorum prædicationem: tum quia Dominus Herodem vulpem appellauit, quasi astutè persequentem Ioannem prædicatorem sub specie complacēdi Herodiadi.) Quia, inquam, tot concursus populorum erant, timebant pontifices, ne tantus populorum concursus ad Dominum Iesum pareret aliquam nouitatem, ob quam simul cum tot alijs præcedentibus consideratam Romani tollerent pontificatum à Iudæis, & transferrēt gentem Iudæorum in alia loca. Ob hanc causam dixit Caiphas quòd expediret potius hominem mori, ne tota gens sic periret. Hac igitur causa in animo retenta pontifices excogitauerunt causam aliquam qua possent inducere Pilatum ad interfi-

ciendum Dominum Iesum: & adinuenerunt dictas quatuor causas: scilicet de prohibito censu Cæsaris, de auersione populi, de blasphemia, de vsurpata maiestate. Et quoniam in prima non habebant fundamenta, & secunda nisi colorare-tur vt via ad quartam, non sufficeret ad pœnam mortis, de tertia autem Pilatus non se intromitteret (vtpote de pertinentibus ad quæstiones legis Iudæorum) deliberarunt astuto consilio crimen læsæ maiestatis imponere Domino Iesu: vt ex eo Pilatus, vtpote contra Cæsarem, moueretur ad condemnandum Dominum Iesum. Putauerunt enim se posse in hoc prænalere, fundantes huius criminis causam super cõfessione ipsius Domini qua cõfessus est se esse Christum, ac per hoc Regem: & super commotione populi ad se vt Christum, ac per hoc vt Regem: ita quòd pontifices licet accusauerint Dominum Iesum quatuor criminum: principaliter tamen tenebant ad crimen læsæ maiestatis, quia se Regem quærebat facere: sperantes ex hoc obtinere à Pilato damnationem Domini Iesu ad mortem. Ex parte quoq; causarum ipsarum quæ allatæ sunt, oportuit causam regni prænalere: quia maiorem habebat apparentiam, ex eo quòd Dominus Iesus fatebatur se Christum: & ante quinq; dies clamantes ei turbas quòd esset Rex, admiserat veniens Hierusalẽ super asellũ. Hæc enim causa multipliciter probata videtur. Primò, ex ipsius Domini Iesu verbis, quibus dixit se Christum. Secundò, ex commotione populi à Galilæa vsque huc. Et in hac probatione clauditur non solum seductio populi, sed commotio quæ fuerat ante quinque dies illic, hoc est in Hierusalem: quum turba cum palmis, cum vestimentis

stra

stratis in via, cum clamore dignitatis ac nominis regij concurrit ad honorandum Dominum Iesum. Tertiò, ex ipsius Domini verbis coram Pilato, Regnum meum &c. Vnde & Pilatus dixit, Ergo rex es tu? quod dominus Iesus non negauit. Fuit quoque aggrauata: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. Ex parte deinde Pilati causam regni oportuit prævalere. Pilatus enim quum esset gentilis, & de eo quòd filium Dei se fecit, nihil aut parum curaret (præsertim sciens quòd per inuidiam mouebantur pontifices) & de censu prohibito nulla probatio haberetur: commotionem populi cum tali ingressu in Hierusalem considerauit, simul cum confessione ipsius Domini de regno suo non ex hoc mundo. Et visum est tam ei quàm Herodi quòd Dominus Iesus esset non vt criminosus, sed vt fatuus puniendus. Consideratis enim dictis de regno alterius mundi, & gestis (scilicet quòd super asellum, non equum: cum palmis, non armis: vilis turba, non magnates: repentè, non ex condicto, practica, inductione aut vocatione: transitoriè, & quasi in momento, non retinendo secum turbam, nec procedendo postea cum turba, sed veniebat quotidie post more solito in templum ad docendum) iudicauerunt vias has aspirandi ad regnum, non esse sani capitis. Et bene iudicabant de mundano regno loquendo. fatuum quippe esset per has vias quærere regnum terrenum, vnde vterque (scilicet Herodes & Pilatus) tractauit Dominum IESVM vt fatuum. Instantibus nihilominus Iudæis quòd non esset fatuus, sed malignus, vtpote qui filium Dei se fecit, & quòd astu

tè inuertit cauſam regni in regnum alterius mundi, quum non poſſet negare quòd ſe regem fecerit, commouendo populum ad ſe regem clamandum: Pilatus corripiendum flagellis Dominum Ieſum cenſuit: vt vtriuſque, fatuitatis ſcilicet & malitiæ ratione habita, punitus Dominus dimitteretur. Sed inualeſcentibus Iudæis vſque ad tumultum, elegit conſideratis omnibus damnare Dominum Ieſum læſæ maieſtatis, eo quòd cauſa hæc ad ſe directè ſpectans apud ſuum tribunal probata ac euidens ita erat, vt niſi fatuitate excuſaretur, iuſtè damnationem expoſceret. De regno quippe non de hoc mundo ipſe ſtultitiam putabat. Et quia Iudæi qui Dominum Ieſum magis nouerant, non admittebant excuſationem ſtultitiæ quam ipſe Pilatus admittèndam putabat: ideo tanquàm relinquēs Iudæis criminis curam, ſe innocentem proteſtatus eſt in prolatione ſententiæ qua Dominum damnauit ad mortem crucis. Hæc videntur ad literam coegiſſe Pilatum ad hanc cauſam ſcribēdam. Sed hæc omnia ex quarto loco propoſita cauſa (diuina ſcilicet prouidentia) diſpoſita ſunt, vt Dominus Ieſus damnatus & crucifixus verum ſuum titulum ſupra ſuam crucem ſcriptum haberet. erat enim & eſt in veritate, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. vſa quippe eſt diuina prouidentia iniquitate perſequentium & damnantium Dominum Ieſum, ad perpetuam veritatem regij tituli de Chriſto prophetati teſtificādam coram toto mundo. vnde & Pilato prohibuit ne mutaret illum, ſed dixit: Quod ſcripſi ſcripſi. & tribus præcipuis linguis omnium linguarum vices gerentibus, ex ipſius etiam ternarij omnia complectentis perfectione, ſcribi diſpoſuit. Hæc de quar

tá quæstione. Deo gratias. Posonij in die sancti Damasi M. D. XXIII. Amen.

SECVNDVM IENTACULUM: in quo quatuor quæstiones tractantur.

OCCVRRVNT, secundò circa diuersa sacræ scripturę documenta de filijs Dei quæstiones item quatuor. Prima est de verbis Pauli apostoli ad Romanos primo, de vnigenito filio Dei, quibus dicit: Qui prædestinatus est filius Dei in virtute: secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri. Secunda est de verbis Ioannis euangelistæ Ioannis primò, de filijs Dei adoptiuis: Dedit eis potestatem filios Dei fieri: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri: sed ex Deo nati sunt. Tertia est de verbis apostoli Pauli primæ ad Corinthios xv. de baptismo quo generantur filij Dei, quum dicitur: Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis: si omnino mortui non resurgunt? Vt quid & baptizantur pro illis? Quarta est de verbis eiusdem apostoli ad Galatas tertio de hæreditate filiorum Dei per fidem repromissa, non per legem, quum dicitur: Lex ordinata per angelos in manu mediatoris. mediator autem vnius non est: Deus autem vnus est.

1.ª q̃stio. ad Roman. 1.º

2.ª ex Ioan. 1.º rap.

3.ª

4.º ex gal. 3.

CIrca primæ quæstionis verba difficultas est. Tum propter proprietatẽ sensus. non enim propriè dictum videtur de filio Dei quòd prædestinatus est filius Dei: quantumcunq; ratione humanæ naturæ verum sit prædestinatum esse, vt humana natura sit vnita filio Dei in persona: & homo ille, scilicet Iesus filius beatæ virginis, sit prædestinatus filius Dei: quia significatur suppositum illud quatenus est humanum suppositum. In propositis autem verbis illud relatiuum qui, refert filium Dei: sicut primo loco antè positum idem relatiuum refert etiam filium Dei, quẽ dicitur: Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. statim enim subditur: Qui prædestinatus est.

Tum propter varietatẽ textus apud Latinos & Græcos, & Græcos inter se: dum Latini codices cõmuniter habent, Qui prædestinatus. Græci autem aliqui similiter habent. Aliqui habent, Qui destinatus. Tum propter pluralitatẽ expositionum, dum vel prædestinatus est, exponitur prædestinatum est, vel declaratus est. vel quòd relatiuum qui, refert filium Dauid seu hominis. Hæc enim ambiguitati attestari videntur.

AD hanc quæstionem absque quocunque præiudicio cuiusuis expositionis respondendo (quod subintelligi volo tam in præcedentibus quàm in sequentibus totius huius operis) dicitur quòd sensus proprius literæ ex intentione Apostoli & contextu sumendus est. Intentio Apostoli clarè apparet. Intendit enim materiam Euangelij summariè explicare. Quum enim proposuisset se apostolum & segregatum in Euangelium Dei de filio suo: explanandam duxit propositam Euangelij materiam; scilicet de filio suo;

ſuo: quæ ſcilicet Euangelium aperiret de filio Dei. Et ſubiunxit tria comprehendentia totam Euangelicam materiam. Primum eſt: Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem.

Secundũ eſt: Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum IESV Chriſti domini noſtri. Tertium eſt: Per quem accepimus gratiam & apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus. Oportebat enim vt qui ſe Euangelij nuntium dicebat, explicaret quid Euangelium contineret: vt ſic ad Euangelicam epiſtolam præpararet legentium animos. Contextus verò ſuadet ſpecialiter duo. Alterum eſt, vt relatiuum ter repetitum (ſcilicet, qui factus, qui prædeſtinatus, per quem accepimus) referat ſemper illud primò propoſitum: ſcilicet filio ſuo, id eſt filio Dei. Alterum eſt, vt ſimiliter diſtinguatur, ordinetur & intelligatur ly ſecundum carnem, & ly ſecundum ſpiritum: ita quòd ſicut primò explicatur filius Dei ſecundũ carnem: ita deinde explicetur filius Dei ſecundũ ſpiritum: vt ſit plana conſtructio, & planus ſenſus, nec minus altus. Et vt plenius intelligantur hæc, inchoemus à primo. declarat itaq; myſterium incarnationis quantum ad quinq;. Primò, quantum ad perſonam incarnatã, quod eſt ipſe Dei filius, per relatiuum qui: ita quòd nec pater, nec Spiritus ſanctus, ſed filius Dei refertur per ly qui: vt patet in textu. Secũdò, quãtum ad modũ incarnationis: quòd non ex virili ſemine, ſeu naturali more genitus eſt ſecundum carnem: ſed ex virtute Spiritus ſancti formatus ſecundum carnem. & hoc ſignificat illud participium, factus. Acſi diceret: Qui non naturali vir-

tute ſecundum carnem genitus in materno vtero, ſed ab extrinſeca Spiritus ſancti virtute factus eſt. Simile habes ad Galat. iiij. miſit Deus filium ſuum factum ex muliere. Tertiò, quantũ ad coniunctionẽ humanitatis cum deitate: quòd ſcilicet iuncta eſt Deo vt organum coniunctum. Duplex ſiquidẽ inuenitur organi genus. Quoddam coniunctum perſonaliter illi cuius eſt inſtrumentum: vt manus eſt organũ quo operatur homo. Quoddam verò ſeparatum ſecundum eſſe ab illo cuius eſt inſtrumentum: vt ſerra qua homo ſecat. ſerra enim nihil eſt hominis ſecantis: ſed aliud eſſe habet: alia hypoſtaſis eſt. Inter humanitatẽ itaque CHRISTI & cæteras creaturas ſecundum cõiunctionem ad Deum hæc eſt differentia, quòd reliquæ creaturæ ſe habent ad Deum vt inſtrumenta ſeparata: ita quòd Deus vtitur illis inſtrumentis ſeparatis. Et propter hoc omnia tam naturalia quàm voluntaria creaturarum opera Deo attribuuntur in ſacra ſcriptura. Omnia, inquit Iſaias, opera noſtra operatus es Domine. & Iob: Pelle & carnibus veſtiſti me: oſsibus & neruis compegiſti me &c. Humanitas autem CHRISTI iuncta eſt Deo vt organum coniunctum ſecũdum eſſe perſonale: ita quòd Deus per humanitatem aſſumptam operatur ſicut ego per linguã meam, per manũ meam &c. Et hoc ſignificatur in textu per pronomen ei, dum dicitur: Quia factus eſt ei, proculdubio Deo. Filius quippe Dei ſecundũ carnem factus eſt Deo organum coniunctum: quia deitas per humanitatem CHRISTI operatur ſicut per ſibi coniunctũ proprium organũ. iuxta illud, Saluauit ſibi dextera eius, & brachiũ ſanctum eius. Ad quod vt verè nouum & mirabile

inui

inuitauerat decantandum, præmittens: Cantate Domino canticũ nouum: quia mirabilia fecit. statim enim subdit, saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius. Acsi dixisset: Quũ Deus salutem multipliciter potuisset operari: hunc tamen modum elegit, vt per propriam dexteram & proprium brachium (hoc est per organũ coniunctum) operaretur salutem in mysterio incarnationis. vnde & subdit: Votum fecit Dominus salutare suum &c. Quartò, quãtum ad humanam genealogiam: quòd scilicet ex semine Dauid: pro quãto beata Virgo ex qua carnem habuit, filia fuit Dauid per tot generationes intermedias. Vbi clauditur veritas scripturarum, Messiam ex semine Dauid promittentium, & regia progenies: & quòd peccator Dauid tanta gloria donatus est à Deo, vt de ipsius semine CHRISTVS prodiret, & ipsi fieret talis tantaq; promissio. Quintò, quantum ad humilitatem: dum explicat quòd secũdum carnem, quæ est infima pars humanæ naturæ. Minus quippe mirum esset, si animam tãtum humanam assumpsisset, quum sit naturæ intellectualis & immortalis. sed vbi constat carnem quoq; assumpsisse, mirabile valde est: & longè magis exinaniuit semetipsum carnem assumens. Factus ergo secundum carnem dum dicitur, nihil humanæ naturæ spretũ monstratur. Simile quid legis apud Ioannem, dum dicit: Verbum caro factum est, propter dictam rationem. Est igitur literæ sensus ac ordo: Qui filius Dei secundum carnem factus supernaturaliter est ei Deo vt coniunctum organum ex semine Dauid: pro quanto mater descẽdit ex progenie Dauid. Et aduerte quòd prædictarum quinque conditionum duæ locan-

tur ex parte subiecti : scilicet qui secundum carnem : & tres ex parte prædicati, scilicet factus est ei ex semine David.

Venio nunc ad secundum de quo præsens est quæstio. Vbi aduerte, quòd ex parte subiecti locantur quoque duo, scilicet qui secundũ spiritum : & ex parte prædicati locantur reliqua, scilicet prædestinatus est filius Dei in virtute sanctificationis ex resurrectione mortuorum IESV Christi Domini nostri. ita quòd sicut prius locutus est de filio Dei secundum infimam naturæ humanæ partem, scilicet carnem : sic nunc loquitur de eodem filio Dei secundum supremam naturæ humanæ partem, scilicet spiritum. Et intendit quòd secundum spiritũ prærordinatus est sanctificatiuus propria authoritate ex tẽpore & causa propriæ resurrectionis qua surrexit à mortuis, nõ qualiscunq;, sed saluator CHRISTVS ac Dominus noster. Quamuis enim infiniti fuerint modi apud Deum quibus sanctificare mundum potuisset, elegit tamen & statuit ab æterno vt virtus sanctificatiua resideret in spiritu qui est anima IESV Christi: pro quanto voluit vt omnis gratiæ plenitudo non solum vt in singulari, sed vt vniuersali capite etiam cœlestis Ecclesiæ in illa anima habitaret : ita tamen quòd sanctificator per eam nõ sanctificaret quasi mendicato suffragio, sed propria authoritate vt filius Dei ex vna parte, & ex alia parte concausa & tempus sanctificationis esset resurrectio ipsius. De huiusmodi enim causalitate scriptum est ad Romanos quarto : Resurrexit propter iustificationem nostram. De tempore verò Ioan. septimo: Nondum erat spiritus datus, quia IESVS nondum erat glorificatus. Et secundũ hoc

vt

vt dictum est ex parte subiecti locantur duæ conditiones (persona scilicet filij Dei, & spiritus assumptus) dum dicitur, qui secundum spiritum.

Potest & altius exponi spiritus: hoc est spirituale esse & operari, non determinando ad esse & operari diuinum aut assumptum, sed communiter significando per spiritum esse & operari spirituale quod in CHRISTO fuit: quodcunque fuerit illud. Et sic ex parte subiecti duæ similiter conditiones locantur: scilicet persona filij Dei, & esse ac operari spirituale quodcunque in ipso quomodolibet est: ita quòd sicut primò locutus est de filio Dei secundũ esse carnale, dicendo qui secundum carnem, sic nunc loquitur de eodem filio Dei secundum esse spirituale, dicens, qui secundum spiritum. Et licet ex parte subiecti sit ista diuersitas expositionis, ex parte tamen prædicati non variatur sensus: sed ponitur primò res ad quam prædestinatus est, scilicet filius Dei in virtute sanctificationis: ita quòd non intelligitur hoc simplex, scilicet filius Dei: sed totum compositum, scilicet filius Dei in virtute sanctificationis, vt res ad quam prædestinatus dicitur filius Dei secũdum spiritum: sicut diceretur quòd homo secundum intellectum præordinatus est, vt sit homo studiosus, vt sit homo beatus, & similia.

Numerantur autẽ in huiusmodi verbis mysteria tredecim. Duo ex hoc quòd ly prædestinatus apponitur ad ly qui secundũ spiritũ. Ex ipsa siquidẽ diuersitate verborũ dum qui secundum carnẽ dicitur factus est &c. & qui secundum spiritum prædestinatus &c. dicitur, intelligimus quòd præcipuum & primum in mysterio incarnatio

nationis est esse spirituale. ex hoc enim quòd apponitur prædestinatio ad ly secundum spiritum: denotatur quòd ordinatio diuina principaliter tendebat ad spiritum. hoc enim ipsum prædestinationis nomen secum fert. Et meritò: tum quia spiritus longè præstantior est carne, & esse spirituale longè excellentius esse carnali. Tum quia caro assumpta à verbo Dei est mediante spiritu, pro quanto ratio quòd caro assumpta fuerit, fuit spiritus: hoc est, ideo caro assumpta est, quia erat materia spiritualis animæ, & non ecõuerso. Rursus ex hoc quòd qui secundum spiritum prædestinatus dicitur ad totum aggregatum, scilicet vt sit filius Dei in virtute sanctificationis, intelligimus ad partẽ spiritus spectare principaliter sanctificare, nõ quòd caro CHRISTI expers esset sanctificatiuæ virtutis (quum tactu carnis suæ sanctificauerit aquas pro baptismo, & tactu manus reddiderit sanitatẽ) sed quoniã caro CHRISTI hoc ipsum secundariò & ex spiritali virtute habebat: spiritus autem principaliter & ex proprio genere scilicet esse spiritali sortitus est.

Tertium mysteriũ (scilicet quòd propria authoritate sanctificaret) apertè monstratur per primam partem aggregati prædicati, scilicet filius Dei: ex hoc enim quòd prædestinatus est filius Dei, in virtute sanctificandi, clarè patet quòd prædestinatus est, vt sanctificet propria authoritate. Filius quippe Dei propria authoritate, quæ est sua deitas, sanctificat non minus quàm pater: quum sit vnius & eiusdem naturæ & potestatis cum patre. Quartum mysterium est plenitudo sanctitatis. Ex hoc enim quòd non dicitur sanctus, sed in virtute sanctificationis: aperitur talis tantaque sanctitas quæ non solum ipsum repleat

pleat in se, sed virtutẽ in eo ponat efficiẽdi sanctitatem in alijs. fuit enim CHRISTVS plenus gratiæ & veritatis non solum in seipso, sed de plenitudine eius omnes accepimus. Quintum mysterium est vniuersalitas sanctificationis. Ex hoc nanque quòd non dicit sanctificationis horum vel illorum, nec animarum tantum aut corporum, nec rationalium tantum aut irrationalium, monstratur quòd in eo est virtus sanctificationis omnium. Et verè sic est: quoniam vt dicitur ad Ephes. j. Deus proposuit in dispensatione plenitudinis temporũ instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso. Rursus in eo quòd nõ dicitur sanctificationis talis (puta secundum gratiam prophetiæ, aut secundum qualemcunq; aliam specialem gratiam) sed simpliciter & absolutè dicitur, in virtute sanctificationis: aperitur quòd in eo est virtus sanctificatiua secundum omnem speciem sanctitatis: ita quòd huiusmodi virtus sanctificatiua est vniuersalis, & secũdum omnes sanctificationis species, & secundum omnia sanctificabilia: est siquidem caput super omnem Ecclesiam tam terrestrem quàm cœlestem, & hominum & angelorum: vt dicitur ad Ephes. j. & Colos. ij. Sextum mysterium est tẽpus quo incepit sanctificatio hæc, dum dicitur, ex resurrectione mortuorum: hoc est, ex resurrectione non qualicunq;, sed à mortuis (genitiuus enim pro ablatiuo à Græcis ponitur) iuxta suprà inductum verbum Ioan. Nondum erat spiritus datus, quia IESVS nondum erat glorificatus. In cuius signum, primo die resurrectionis dedit spiritum sanctum discipulis, insufflando in eos, dicẽs, Accipite Spiritum sanctum. & dedit potestatẽ remittendi peccata. Nec propterea

pterea intelligas ante resurrectionem CHRISTI defuisse virtutem sanctificandi, aut sanctificationem ipsam (quoniam prius sanctificationis opera multa Dominus effecerat) sed quia principaliter, manifestè & vniuersaliter præordinata est sanctificatio exercēda à tempore resurrectionis. Principaliter quidem, quia sanctificationes priores erant quasi dispositiones seu viæ ad sanctificationem vniuersalem futuram post resurrectionem. In cuius signum etiam ipsi Apostoli quamuis mundi ex sermone CHRISTI, adhuc cæci erant, non intelligentes scripturas: sed in die resurrectionis aperuit illis Dominus sensum vt intelligerent scripturas. Manifestè verò: quia tūc manifestata est virtus CHRISTI ex gloria resurrectionis. Vniuersaliter autem: quia in omnes gētes extunc salus prædicanda, & conferenda ordinata est: vt patet in Euangelio.

Septimum mysteriū est concausa sanctificationis, quòd scilicet resurrectio ipsius ordinata est concausa sanctificationis: vt scilicet filius Dei & propria authoritate & ministerio propriæ resurrectionis sanctificaret: nam sicut mortē nostram moriendo destruxit, ita vitā resurgendo reparauit. Est siquidem ipsius resurrectio causa vitæ nostræ, tum animæ, quia surrexit propter iustificationem nostram: tum corporis, quia Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratū corpori claritatis suæ. Dum ergo dixit ex resurrectione mortuorum, duo notauit mysteria: temporis scilicet, quo sanctificatio quasi maturus fructus haberetur: & concausæ, qua resurrectio in dignitatem concausandi sanctificationem eleuata est. Octauum mysteriū est integritas spiritalis esse: quan-

doqui

doquidem ex resurrectione effectum est corpus CHRISTI spirituale, iuxta Apostoli sententiam. j. ad Corinth. xv. habuitque extunc Saluator esse spirituale integrum, hoc est secundum omnes naturæ assumptæ partes. Manifestaturq; hinc, quòd filius Dei secundum spiritum redundantem iam ex resurrectione in corpus secundum esse spirituale consummatum ex resurrectione, præordinatus sit sanctificator. Dicens itaque, ex resurrectione mortuorum, tria dixit mysteria: temporis, quo quasi fructus maturus sanctificatio haberetur: causalitatis, qua in dignitatem concausandi sanctificationem resurrectio eleuata est: & integritatis, qua consummatum est esse secundum spiritum per redundantiam ad corpus. Ex his tribus iunctis prioribus consurgit mysterium nouum, quòd sanctificare cõuenit CHRISTO ex diuina ab æterno prædestinatione secundum vtranque naturam: diuinam scilicet & humanam: non qualemcunque, sed glorioſam: vt verè impletam cognoscamus causam ab Euangelista assignatam, quare nondũ erat spiritus datus: quia IESVS nondũ erat glorificatus. hoc est siquidẽ quod hic docet Apostolus, dicens quòd prædestinatus est filius Dei sanctificator ex resurrectione à mortuis, qua proculdubio glorificatus est. Spectant reliqua quatuor mysteria ad qualitatem resurgentis ad sanctificandum. Non enim posita sunt hæc verba: IESV Christi Domini nostri, ad quasi circumloquendum reuerenter illum qui resurrexit: sed quum facilè per pronomen substantiæ potuissent dicere ex resurrectione eius, si tantum significare voluisset de cuius resurrectione loquitur, sicut per verbum

mor

mortuorum significauit de qua resurrectione loquebatur: elegit apostolus tot titulos apponere, vt & quis & qualis ex resurrectione præparatus sit sanctificator, monstraret. Decimum igitur mysterium monstratur per nomen IESV: quo non solum quis monstratur, pro quanto est nomen proprium: sed qualis, pro quanto à salutatione impositum illi est: vt dixit Angelus ad Ioseph. Surrexit quippe ad sanctificandum IESVS, hoc est saluator, quum deuicta morte vniuersum genus humanũ saluauit, vitam illius inchoando in propria vita corporali, immortali, impassibili &c. Verè etenim impletum tunc est illud Psal. Saluauit sibi dextera eius: quoniam ipse Dei filius per suam animam quasi iunctam dexteram saluauit sibijpsi corpus proprium viuificando, & dotibus quatuor ab Apostolo explicatis. j. ad Corinth. xv. glorificando. Et verè si CHRISTVS resurrexit, & nos resurgemus: vt ibidem dicitur. Vndecimum mysterium regiæ dignitatis monstratur per nomen CHRISTI. Verè siquidem peruenit in regionem valde distantem (vtpote in regionem gloriæ æternæ) accipere sibi regnum, quum vnctus est vnctione gloriæ super omnes reges. Oportuit siquidem CHRISTVM pati hæc (scilicet iniurias & mortẽ) & ita intrare resurgẽdo in gloriã suam. Incœpisse ergo regnum CHRISTI ex sua resurrectione monstrat Apostolus, quũ prædestinatum ipsum dicit sanctificatorem ex resurrectione qua surrexit CHRISTVS: sicut etiã ex tunc incœpit executio consummatę saluationis quum surrexit IESVS. Tunc quoque incœpisse dominium eius, duodecimum mysteriũ aperit dicendo, Domini. Qui enim prius venerat

rant ministrare, subijci & mori, surrexit Dominus, dicēs: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Non quòd prius nō fuerit Dominus (quum verè dixerit: Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis: sum etenim) sed quia prius secundum humani corporis officia non venerat dominium exercere, sed subiectionē, surrexit omni ex parte Dominus: quū impletur illud: Dominus regnauit, decorem (gloriæ corporalis) indutus est. Noster demum mysterio vltimo dicitur: non ꝙ aliquis aut aliquid eximatur ab illius dominio (de quo scriptū est: Omnia subiecisti sub pedibus eius) sed quia peculiari modo Dominus noster, hoc est fidelium, est: tum quia dominatur in nobis, qui volūtates nostras subijcimus illius mandatis: tum quia cultu fidei, spei ac charitatis gaudemus atque gloriamur in & de ipsius dominio. Fructus ergo resurrectionis Dominicæ per ly noster notatur: vt nō quasi inanis aut in tempus lōginquum fructificaturus surrexerit, sed surrexit Dominus noster, vt statim nos habuerit, vt nunquàm nos omnino deseruerit. Prædestinatus est ergo filius Dei secundum spiritum: vt sit filius Dei in virtute sanctificationis ex resurrectione qua à mortuis surrexit IESVS Christus Dominus noster.

Perspice lector in duabus explanatis sententijs collectam ab Apostolo materiam Euangelij de filio Dei: dum & trinitatis & incarnationis ac incarnati verbi tàm secundum humilitatis quàm glorię statum, & sanctificatiuæ virtutis, ac per hoc sacramentorum mysteria proposuit. Et ne quid remaneret intactum subiungendo tertium relatiuum, totam complexus est Euangelij materiam. Nam vbi de capite collegerat, ad

Ecclesiam ipsius CHRISTI corpus descēdit, oportet enim euāgelizare quoq; vnā sanctam in CHRISTO Ecclesiam: vt patet in symbolo. Quinq; autem (vt breuiter perstringamus) de CHRISTI Ecclesia proponit. Primo, coniunctionē cum CHRISTO, nō qualitercunq;, sed dependēdo ab ipso dicēs, per quē. iungitur enim Ecclesia CHRISTO vt capiti: & ab ipso pendet, vt à capite pēdet corporis vita. Secūdo dona CHRISTI in Ecclesia, & cōmunia toti Ecclesiæ, dicens accepimus gratiā. & dona quibus diuersa membra seu gradus diuersi sunt in Ecclesia, dicens, & apostolatū. in hoc enim primo gradu reliqui subintelliguntur. Tertio, finem intrinsecum propter quem distribuūtur gradus ac dona in Ecclesia, dicens, ad obediendum fidei. Vbi fides non quæ sine operibus mortua est, sed formata, quæ per dilectionem operatur, posita est finis: nam obediētia fidei nō est, vbi fides mortua est. voluntate enim renuente obedire fidei, quæ diligendū Deū super omnia monstrat, nō mouetur homo ad obediendum fidei. Rursus vnitas fidei monstratur ex singulari numero: & non vt vnusquisq; in sua fide saluetur, sed obedfatur fidei vni. Quarto, indiuisionem vniuersalis Ecclesiæ aperit. Ex eo nanq; quòd nō in vna tantùm natione, sed in omnibus gentibus ad hoc vnum, vt scilicet obediant fidei vni, gratiā vnā & apostolatum vnū accepimus: consequens est vt vna atq; indiuidua sit vniuersalis Ecclesia CHRISTI in omnibus gētibus iuxta verbum Domini, Fiet vnum ouile, & vnus pastor. Quinto, finem extrinsecum, Pro nomine eius. tota enim Ecclesia ordinatur ad gloriam Domini IESV Christi: nec sunt Apostoli, doctores, protecto-

res

res &c. pro gloria propria, sed pro gloria filij Dei. Habes ergo summariè ex verbis Apostoli totam euangelij materiam, quam intendebat Romanis proponere.

AD ea quæ tanquam difficultantia materiam inducta in principio sunt, non est confutando sed explanando summariè dicendum, quòd licet non admittatur quòd qui refert filium Dei absolutè, vt prædestinatus sit filius Dei absolutè: admittitur tamen vt qui referat filiũ Dei factum secundum carnem ex semine Dauid: hoc est filium Dei vt est filius hominis. Nec est inconueniens vt illa triplicitas relatiui sic ordinetur vt semper crescat, referendo immediatè antecedens, in quo etiam prius antecedens clauditur: hoc est vt primum qui, referat filium Dei: secundum qui, referat eundem factum secundum carnem: tertium verò per quem, referat eũdem non solùm factum secundum carnem, sed prædestinatum &c. Nec inconuenit diuersas eundem textum habere expositiones etiam secundũ sensum literalem: quoniã author sacræ scripturæ est spiritussanctus, qui plures simul sensus intendere potest. Vnde autem varietas ipsius textus emerserit, nõ apparet. Quòd enim ex trãslatione non contigerit, manifestat diuersitas textus etiam apud Græcos. nam apud Vulgariũ legitur prædestinatus, & apud Origenem, destinatus. Vtcunq; sit, textus verificatur vtroq; modo: vt patet ex dictis. Hæc de prima quæstione.

CIrca secundam quæstionem de verbis Ioan. Qui non ex sanguinibus &c. ambiguitas occurrit primò an vna & eadem generatio negetur per tres negationes, nõ ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri: an

ſingulis negationibus reſpõdeant ſingulæ generationes. Nã ſi vna eadẽq; generatio per omnes negatur, inutilis videtur multiplicatio tot cauſarũ. Ad quid enim opus eſt miſcere in Euãgelio naturalẽ hominũ natiuitatẽ prouenire nõ ſolùm ex ſanguinibus, ſed etiam ex volũtate carnis, & ex volũtate viri? Si verò tres gñationis ſpecies deſcriptæ dicũtur, falſum apparet, ex eo q̃ generatio ex volũtate carnis, nõ eſt diuerſa à generatione ex ſanguinibus. Cõcupiſcẽtia quippe carnis nõ aliter generat filios quàm per cõmixtionem carnalẽ maris & fœminæ. Secũdò, an vna eadẽq; volũtas ſit voluntas carnis, & volũtas viri. Nã ſi locutio iſta propria eſt, oportet ex vna parte vnã fateri voluntatẽ, quũ non inueniantur in toto genere humano diuerſæ ſpecies volũtatum (cuius enim animalibus appetitus multiplicetur in plures ſpecies, voluntas tamen nõ multiplicatur) & ex altera parte nullam dicere voluntatem carnis: quia voluntas in ſola ratione eſt, & appetitus eſt rationalis, & non carnalis ſeu ſenſibilis. Si verò non curandum creditur de proprietate nominum, & duæ voluntates quaſi duo appetitus diſtinctè dicuntur (rationalis ſcilicet, qui propriè vocatur voluntas: & ſenſibilis, qui appellatus eſt voluntas carnis) tunc ſententia teneri potuit, ſed lingua cohibenda erat: quod procul ab Euangeliſta eſſe debet.

Tertiò, an filij Dei per adoptionem, dicantur propriè nati ex Deo, an ſecundum communem tantùm vſum quo in humanis adoptatus in filium, dicitur genitus ab illo per adoptionẽ: qui etiam in hac litera dicitur genitus ex voluntate viri. Quòd enim propriè intelligi debeat, ex eo videtur quòd niſi propriè eſſent ex Deo nati.

non

non essent propriè filij Dei. Quòd verò communiter accipiẽdum sit, ex eo apparet quòd voluntariè genuit nos, dando nobis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.

AD hanc quæstionem dicitur q̃ Ioãnes Euangelista triplicẽ ac per hoc omnẽ in humanis generationis modũ complexus est. Primũ, quo vita naturalis acquiritur, & nascuntur filij hominũ ex sanguinibus viri & mulieris. Secundum, quo vita moralis consona carni, in bonis fit ex volũtate carnis: hoc est ex electione eorum quæ cõsonant carni. Et hinc nascũtur filij huius seculi: quorũ vita est circa aut necessaria aut vtilia, aut delectabilia secundũ carnem. Tertiũ, quo vita excellens consona rationi, in nobis fit ex voluntate viri: hoc est ex electione eorum quæ sola ratio seu virilis animus æmulãda dictat. Et hinc nascũtur filij huius quoq; seculi qui excellentes sunt: inter quos quidã heroes vocãtur. Ita q̃ intendit Euãgelista filios Dei neq; ex natura simpliciter, neq; ex natura adiuncta voluntate carnis (hoc est studio ad quæcunq; spectant ad carnalia) neque ex natura adiuncta voluntate viri (hoc est studio officioso ad quæcũq; sunt & esse possunt virilis perfectionis, delectationis, aut gloriæ) nasci aut fieri. Et quoniam ad aliquod horum trium spectat omnis generatio hominum secundum quodcunq; esse possibile, siue ex cœlo, siue ex quacunq; causa naturali aut voluntaria (vt patet discurrendo & applicando) ideo hanc triplicem generationem negando, aperuit Euangelista aliunde quærendam esse generationem filiorum Dei, quàm ex naturalibus aut voluntarijs causis creatis: & statim manifestauit quartum generationis modum, dicens, sed ex Deo

nati sunt. Nec dixit, sed à Deo facti sunt (vt cæteræ creaturę, quas dixit & factæ sunt) sed dixit, sed ex Deo nati sunt: docēs filios Dei tali modo procedere à Deo vt mereātur dici nati ex Deo: tum propter naturalitatem in modo producēdi: tum propter cōnaturalitatē rei productæ. Quæ quoniam altioris speculationis sunt (vtpote à Ioanne euangelista dicta) oportet altius inchoando aduertere bona creata distingui in duos ordines. Vnus est ordo naturæ, alter est ordo gratię. In primo ordine sunt omnes substantiæ creatæ, & proprietates, actiones, passiones, & quæcūq; quomodolibet eis naturaliter conueniunt. In secundo autem quātum ad propositum spectat, inueniuntur quædam res quæ ita sunt de ordine gratiæ vt sint de genere Dei: vt charitas, & lumen gloriæ. Bona creata primi ordinis se habēt ad Deum vt artificiata ad artificē: quæ sunt alie na à natura artificis: vt domus, arca, nauis, & alia huiusmodi testantur relata ad suos artifices. Charitas autem & lumen gloriæ quæ supremum tenent locum in secundo ordine, se habent ad Deum vt connaturalia ad id cui sunt connaturalia: vt ea quæ sunt secundum naturam ad naturam: sicut calere ad ignem, sicut moueri deorsum ad graue. Quod ex eo cognoscere potes: quia nihil horum potest esse natura aut cōnaturale alicuius creaturæ creatę aut creabilis. Non potest siquidē fieri aliqua creatura quę sit suapte natura beata beatitudine illa quæ cōsistit in fruitione promissa nobis in cœlesti patria: vt sit suapte natura amans Deum amore charitatis, quo distinguūtur filij Dei à filijs perditionis: quoniam si aliquid horum posset fieri, posset esse aliqua creatura non indigens gratia Dei, sed ex

propriis suæ naturæ haberet quòd nõ posset peccare, & seipsam saluaret: scriptũ est enim j. Ioã. iij. Omnis qui natus est ex Deo, peccatũ non facit, quoniã semen ipsius in eo manet: & non potest peccare, quoniã ex Deo natus est. & rursus cap. v. Omnis qui natus est ex Deo non peccat, sed generatio Dei conseruat eum. Quia igitur propriũ est Deo esse naturaliter beatũ dicta beatitudine, & amare naturaliter ipsum Deum sic, scilicet dicta charitate: cõsequens est vt intelligamus bona creata quibus constituuntur filij Dei hîc quidem inchoatiuè per gratiam charitatis, in patria verò completè per consummatã gratiam luminis gloriæ, esse de genere diuino, & Deũ se habere ad illa vt ad cognata, vt ad cõnaturalia, vt ad secundum naturã ipsius Dei. & propterea reliquæ creaturæ factæ dicuntur, filij autem Dei nati dicuntur. Iure siquidẽ nasci dicũtur, qui ad connaturalia producuntur, qui ad ea quæ sunt secundum Dei naturam eleuantur. Natiuitatis siquidem tam ratio quàm nomen ad naturam spectat. Si itaq; ex termino consideres productionem filiorum Dei, natos ex Deo intelliges: quia fiunt cognati ipsi summo Deo. Si modum quoq; inspicias, idem inuenies. Dupliciter siquidem aliquid à voluntate efficitur. Vno modo absolutè: vt quum eligimus aliquid exterius operari: vt mederi, ædificare &c. Alio modo ex affectione: vt quum ex odio vel amore mouemur ad aliquid. Quod procedit externus voluntariè, dicitur fieri à voluntate. Quod procedit in nobisipsis à voluntate affecta, dicitur nasci ex voluntate: quasi naturaliter illud proueniat: quia voluntas affecta per modum naturæ operatur. habitus enim inclinat per modum

naturæ: & quaſi intrinſeci principij rationem induit voluntas affecta, quando ex affecta volũtate fimus tales: puta mites, aut iuſti, aut auari &c. Vnde Ioannes euãgeliſta eadẽ præpoſitione, ſcilicet ex: & eodẽ participio, ſcilicet nati, vſus eſt in ſingulis particulis, dicens: nõ ex ſanguinibus, nõ ex voluntate carnis, non ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. nam ly nati, ſubintelligitur in præcedẽtibus. Ac ſi replicaſſet: qui nõ ex ſanguinibus nati ſunt, neq; ex voluntate carnis nati, neq; ex volũtate viri nati, ſed ex Deo nati ſunt. Filij ſiquidem hominũ nati ſunt in eſſe naturæ ex ſanguinibus, & filij huius ſeculi communiter nati ſunt in eſſe morali ex volũtate carnis, hoc eſt ex voluntate affecta carni: & ſimiliter filij huius ſeculi egregiæ vitæ, nati ſunt ex voluntate viri: hoc eſt ex voluntate affecta virilitati. Quorſum hæc? Vt percipias filios Dei ſimiliter ex Deo natos. Voluntas ſiquidem Dei omnium quomodolibet creatorum cauſa eſt: ſed reliquas creaturas producit quaſi voluntate artificis: filios verò adoptionis producit quaſi voluntate affecta: vtpote ad cognatos naturæ diuinæ, ad ea quæ ſunt ſecũdum naturam ipſius Dei. Naturaliter enim afficimur ad cõnaturalia nobis. Et ex eadem radice profertur quòd quaſi principij intrinſeci rationẽ induit in producendo filios Dei: pro quanto tantum ſapit principij naturalis. Ex vtraq; igitur parte (hoc eſt ex parte termini & ex parte principij) quantum ad modum producendi tantum naturalitatis diuinæ inuenitur in productione filiorum Dei, vt Ioannes euangeliſta ad hæc aperienda dixerit, ex Deo nati ſunt: vt ly ex, & ly nati, vtranq; naturalitatem indicarent. Et ne hæc ficta putes, audi Petrũ apoſtolum

stolum primo cap. ij. epistolæ, Maxima & pretiosa promissa donauit nobis, vt per hoc efficiamini diuinæ naturæ consortes. Audi Paulum ad Rom. viij. Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Vbi vides filios Dei in consortium diuinæ naturæ elevatos, & ad cognationem tantam cum Deo suos filios prædestinatos, vt fratres sint primogeniti filij omnino naturalis veriq; Dei. Illum siquidem Deus natura genuit verum Deum: nos autem volũtariè genuit, vt simus primitiæ creaturarum: vt dicitur Iac. j. Vide demum q̃ Ioannes euangelista tanti fecit mysterium per hæc verba prolatũ de filijs Dei, vt ne hoc impossibile crederetur, attulerit pro testimonio id quod est maximè supermirabile, scilicet mysterium incarnationis. subdit enim: Et verbum caro factũ est. Tanquàm diceret: Vt credas homines nasci filios Dei: scito Deum esse factum carnem. vt habes in glossa. Sunt igitur in supremo totius vniuersi gradu locati filij Dei, qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate affecta carni, neq; ex voluntate affecta virilitati: sed ex Deo nati sunt.

AD quæsita autem dubitãdo, ordinatè respondendo dicitur: & ad primum quidem quòd tres generationes excluduntur per hanc triplicem negationem: & quòd generatio ex voluntate carnis non appellatur hîc generatio qua fiunt homines secundum esse naturæ: sed qua fiunt secundum esse morale ex voluntate affecta huiusmodi carnalibus: quales communiter emergunt filij huius seculi ex huiusmodi affectibus: alij prudentes rectores, alij negotiatores, & id genus reliqui. Ad secundum verò quòd hîc

est sermo de voluntate propriè: & vna ponitur voluntas secundum substantiam, duæ autem secundum affectum. Voluntas siquidem vna & eadem secundum se est quæ est carnis & viri: sed geminatur propter diuersas affectiones. altera ad ea quæ virilis excellētiæ sunt: & vocatur voluntas viri. altera ad ea quæ carnalis necessitatis, vtilitatis, aut declarationis sunt: & vocatur volũtas carnis. Ad tertium autem, quòd sermo Euãgelistę est de natiuitate propriè: quantum tamen suffert subiecta materia. Vt enim ex dictis aliqualis coniectura haberi potest: nõ fiunt & sunt filij Dei adoptiui, vt sunt & fiunt filij adoptiui hominum: sed eleuantur in consortium & cognationem diuinæ naturæ. Et propterea Ioannes euangelista quum dixisset, Dedit eis potestatem filios Dei fieri: curauit tanto studio aperire modum quo fiũt filij Dei. Et post tot negatiuas manifestauit modum: scilicet quòd ex Deo nati sunt. Dixit autem notanter posse coniecturam nunc haberi: quia idem Ioannes dicit: Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. quum apparuerit, similes Deo erimus. Hæc de secunda quæstione.

CIrca tertiam quæstionem de verbis Apostoli. (Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis? si omnino mortui non resurgunt, vt quid & baptizantur pro illis?) difficultas occurrit, ex eo quòd sermo iste est vel de reprehensibili, vel de laudabili baptismo. Nam si de vituperabili baptismo, quo quidam fortè baptizabantur pro consanguineis defunctis sine baptismo: ita quòd semel baptizabantur pro salute propria: & iterum baptizabantur pro proximis suis defunctis sine baptismo, erroneè putantes

tantes baptizari posse vnum pro alio: Si de hoc inquam erroneo baptismo loquitur Apostolus, infirmum valde argumentum ad persuadendam resurrectionem mortuorum assumit: dum ex fide & spe quam habent de resurrectione mortuorum isti qui baptizantur pro proximis defunctis, arguit quòd mortui resurgent. Nam facillima & in promptu est confutatio huius argumenti: respondendo quòd quemadmodum factum istorum est vanum, ita & fides ac spes eorum: ita quòd argumentum hoc sumi ex hominum fide ac spe vana non oportet aliunde monstrare, quàm ex proprio facto quo baptizantur pro alijs. Ex hoc enim quòd inutiliter & vanè baptizantur pro alijs, argumentum habetur quòd vana est fides & spes quam habent de resurrectione mortuorum. Si verò est sermo de laudabili baptismo, apparet quòd oportet incurrere alterum duorum inconuenientium: scilicet vel æquiuocationem, vel improprietatem. Nam si exponitur pro mortuis, id est operibus mortuis, quæ sunt peccata (iuxta illud ad Hebræos ix. Sanguis CHRISTI emundabit ab operibus mortuis) incurritur æquiuocatio. Nam in alia significatione sumitur quum primò dicitur: Qui baptizantur pro mortuis. & in alia sumitur statim subdendo: Si mortui non resurgunt: vt patet. Et nihilominus quale argumẽtum hinc sumpsit Apostolus? quasi penes similitudinem nominis ex operibus mortuis ad homines mortuos, ex resurrectione per baptismum ab operibus mortuis ad resurrectionẽ à naturali morte procedens. Si autẽ exponitur pro mortuis, hoc est pro fitẽdo fidẽ ac spẽ de resurrectione mortuorũ: pro quãto ij qui baptizabantur, profitebantur integrum

grum fidei ſymbolum, in quo manifeſtè dicitur, Credo carnis reſurrectionem &c. ita quòd pro tanto dictum eſt quòd baptizantur pro mortuis pro quanto baptizantur profitendo reſurrectionem mortuorum. Si ſic, inquam, exponitur, incurritur improprietas ſermonis. Nam impropriè dicuntur baptizari pro mortuis, quia baptizantur profitendo reſurrectionem mortuorum. Similiter poſſet dici, baptizantur pro trinitate, quia baptizantur profitendo trinitatem.

AD hanc quæſtionẽ reſpondetur, quòd quum Apoſtolus non arguat ex fide, aut ſpe, aut ex verbis, ſed ex facto (nam dicit: Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis? & exponens illud factum eſſe baptizari pro mortuis, ſubdit: Si mortui non reſurgunt, vt quid baptizantur pro illis? ſcilicet mortuis) oportet ſenſum horum verborum ſumere ex facto ex quo argumentum ſumit Apoſtolus. Neſcio autem melius factum hoc interpretari quàm ex doctrina eiuſdem Apoſtoli: qui ad Coloſ. ij. docet eos qui baptizantur baptizari in perſona mortuorũ: & non ſolum mortuorum, ſed etiam reſurgentium cum Chriſto. Conſepulti, inquit, eſtis per baptiſmum Chriſto: in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illũ à mortuis. Et rurſus cap. iij. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite. mortui enim eſtis: & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto. Ritus baptiſmi habet, vt qui baptizantur, mergantur ſub aqua: & per hoc repræſentent duas mortes: ſcilicet propriam mortem moralẽ, & mortem Chriſti corporalem. Repræſentãt enim ſe mortuos vitæ veteri, ſicut Chriſtus mortuus eſt vitæ huius mundi. Merſio enim repræſentans ſepulturam Chriſti

mor

mortui,ponens hominẽ qui baptizatur ſub aqua, ſicut corpus Chriſti poſitum eſt ſub terra:repræſentat quoque hominem illum ita recedere à præterita vita,vt ſit illi mortuus & ſepultus. Similiter ſurgẽdo ex aqua repræſentat duplex reſurrectio,& Chriſti corporalis,& hominis ſpiritualis:ita quòd ex hoc quòd homo ſurgens ex aqua,repræſentat Chriſtum à mortuis reſurgentem:repræſentat quoq; ſeipſum ſurgere in nouã vitam ſpiritualem:nunc quidem quantũ ad animam ſecundũ rem:in futurum autem etiam quantum ad corpus in ſpe. Hoc eſt factum ex quo arguit Apoſtolus,dicens: Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis? hoc eſt in perſona mortuorum:ſi mortui non reſurgunt,vt quid baptizãtur pro illis?hoc eſt perſonam illorum agunt qui ſic baptizantur pro mortuis,ſicut in repræſentationibus quidam agunt fortes,quidam modeſtos, quidam mortuos, quidam claudos,quidam cæcos &c.& hi dicũtur operari pro cęcis,pro claudis,qui agunt perſonas illorum. Ex tali itaq; baptiſmi ritu quo qui baptizantur, perſonam mortuorum agunt ad ſimilitudinem Chriſti mortui,& conſequenter perſonam reſurgentium ad ſimilitudinem Chriſti reſurgentis: argumentum ſumpſiſſe apoſtolum intelligendum eſt. tum quia ſecundum hunc ſenſum inuenitur argumentum efficax. Vanum ſiquidem eſſet tale factum repræſentatiuum mortis & reſurrectionis,ſi mortui non reſurgunt. Tum quia exponitur litera ſumẽdo argumẽtum à facto,iuxta verba apoſtoli.

Tum quia ſeruatur proprietas ſermonis, & nulla interuenit æquiuocatio. Tum quia conſonat alijs documentis apoſtoli. Tum quia nihil incerti aut noui in Eccleſia Chriſti per hanc expoſitio

positionem ponitur.

Et aduette, quòd quia ex modo facti solus ritus baptismi per immersionem repræsentat mortem & resurrectionẽ: ideo Apostolus quasi particulariter loquitur de facto illorum qui baptizantur in persona mortuorum. Et rursus ideo apposuit coniunctionẽ &, dicendo: Vt quid & baptizantur? quasi diceret: Vt quid non solum baptizãtur: sed baptizantur pro illis: id est, in persona mortuorum? Tanquam diceret: Vt quid tali ritu personam mortuorum & resurgentium assumunt quum baptizantur? Notanter autem dixi ex modo facti: quia ex efficacia sacramenti semper baptismus quomodocunque fiat commori & consepeliri hominẽ facit, & resurgere cum Christo in nouitatem vitæ.

AD obiecta autem in principio, non est aliter respondendum, nisi quòd expositio illa de opinato illo erroneo baptismo, minus consona videtur sensui apostoli: qui ex facto manifestè arguit, & non ex spe facti. Hæc de tertia quæstione.

CIrca quartam quæstionem difficultas occurrit: quia non apparet literalis sensus secundum planum literæ contextum. Non enim apparet ad quod propositum dicantur illa verba: Mediator autem vnius non est: Deus autẽ vnus est. Constat nanq; ibi sermonem fieri de differentia inter legem Mosaicam, & promissionem factam Abrahæ in Christo. Et quantum apparet, extra propositum, extra contextum interpositum est quòd officium mediatoris est inter duos: & similiter quòd Deus est vnus. quorum enim hæc hîc, quamuis in se verissima sint? Hæc est tota quæstionis ratio ac summa.

Ad

AD hanc quæstionem dicitur quòd referendo clausulam illam, in manu mediatoris, ad legem Mosaicam de qua est sermo: soluitur facilè quæstio. Ad cuius clariorem & pleniorem intelligentiam colligenda antedicta summariè sunt. Posuit ibi Apostolus ex vna parte Abrahę promissionem (quam etiam testamentum à Deo confirmatum vocat) & ex altera parte, Moysi legem. Et ex parte Abrahæ posuit quinque: scilicet fidem, benedictionem, vitam, hæreditatem, & iustitiam. Ex parte verò legis cõtra posuit quoque quinque: scilicet opera legis, maledictionẽ, viuere in operibus legis, trãsgressionem, & peccatum. Et demum concludit legem fuisse in custodiam & pædagogum ad fidem Iesu Christi: in quo omnes homines vniuntur per fidem, & fidei sacramentum baptisma. Quum igitur ex parte promissionis Abrahæ tot diuina bona posuisset Apostolus, & ita appropriasset Abrahæ vt negasset illa à lege: quæstionem interposuit, Quid igitur lex? Et statim respondet, propter transgressionem posita est, donec veniret semen cui promiserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris. Vbi quatuor conditiones legis manifestat. Prima est, quòd propter malum posita est: hoc est, lex non est posita vt faciat bonos & iustos: sed vt puniat malum. Et hoc significãt illa verba, Propter transgressionem posita est. Quum enim duæ sint partes iustitiæ, scilicet declinare à malo, & facere bonum: lex scripta in hoc differt à fide Abrahæ, quòd lex ad malum potestatem habet: culpæ quidem puniendum: pœnæ verò infligendum. Fides verò efficit bonum: quia ex fide viuitur vita iustitiæ & dilectionis &c. At si contra

hoc

hoc obijciatur, non esse deterioris conditionis legem Moysi legibus humanis: quas constat positas esse non solum propter transgressionem arcendam & puniendam, sed etiã propter bonum virtutis. Nam ad hoc ordinantur leges, vt fiant homines virtuosi, vt patet ij. & v. Ethico. Maximè ergo lex per Moysen à Deo data ordinatur ad reddendos homines virtuosos. Et confirmatur: quia legis præcepta sunt non solum de declinando à malo (puta Non occides: Non mœchaberis: Non adorabis deos alienos &c.) sed etiam de faciẽdo bonũ: puta, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Honora patrem tuum. Ad hoc dicitur, quòd aliud est loqui de fine legis, aliud est de effectu legis. Nam finis legis ad intentionem spectat: effectus verò ad potestatem & efficaciam legis. Si de fine est sermo, finis legis est bonum virtutis: ad quod intendit per præcepta &c. ducere. Sed nulla lex scripta habet hanc potestatem, hancque efficaciam vt efficiat aliquem bonum: præcipere siquidem potest bonum, sed non facere. Sed respectu transgressionis seu mali habet lex potestatem & efficaciam puniendi. Punit enim malos, & puniendos arcet consequenter, vt experientia testatur. Apostolus autem non de fine, sed de effectu legis & fidei loquitur: & docet quòd fides Abrahæ facit hominem iustum ac viuum &c. lex autem non potest iustificare aut viuificare aliquem, sed potest punire. Et ideò propter transgressionem tanquam materiam proprij effectus qui est punitio, posita est, & non propter iustitiam seu vitam, in quam non potest vires suas exercere, nisi pro quanto dilabuntur in malorũ ordinẽ in suis omissionibus. Lex enim præcipi

cipiens religionis seu pietatis opera, non potest efficere in subditis religionis aut pietatis officium: exercet vires suas puniendo: vt lapidatus est qui non sanctificauit sabbatum &c. Secunda est, quòd est temporalis, scilicet ad Christum. Et hoc significant subiuncta verba, donec veniret semen cui promiserat: ita quòd hinc habes quòd lex Moysi non est perpetua, sed temporalis. Nec obstat quòd pluries dicitur in lege Moysi, Legitimum sempiternũ erit, aut aliquid simile: quoniam huiusmodi sempiternitas accipitur pro duratione coæua populo Iudæorum. Et est sensus, quòd est sempiternum secundum perpetuitatem populi: scilicet vsq; ad Messiam: qui pater futuri seculi prædictus est, & vnum populum ex omnibus facturus nouo nomine Christianum: & iuxta verbum Esaiæ, Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. Scito tamen quòd lex cum suis præceptis potest dici perpetua quantum est ex parte authoritatis humanæ: pro quanto posita est non reuocabilis nisi per ipsum Deum verum. Et dicitur temporalis, pro quanto Deus verus caro factus adimpleuit illam: & sic consummauit, non consumpsit illam: iuxta illud, Non veni soluere legem, sed adimplere. ita quòd finiuit legem, non consumendo vt cibus finitur, sed perficiendo: vt officium ducis exercitus finitur parta victoria: iuxta aliud verbum Domini in cruce: Consummatum est. Tertia conditio est, quòd lex est ex cœlesti authoritate posita: vtpote ordinata per Angelos. Quod etiam Stephanus protomartyr prius dixerat, Actuum septimo: Accepistis (inquit ad Iudæos) legem in dispositione angelorum. Decuit vt inter tot quasi ignobiles

conditiones quas de lege referebat Apostolus, interponeret aliquam nobilem & glorioſam: ſcilicet quòd ordinata fuit per angelos. in quo omnes humanas leges excellit: & authoritatem diuinam habere monſtratur. Poteſt nihilominus vltra commendationem legis hæc particula ad ſecundam conditionem pertinere: vt ſcilicet ſignificetur à quibus & ad quos lex erat vſque ad ſemen promiſſum: intendens quòd ordinata erat per Angelos temporalis: ſcilicet donec veniret ſemen. Acſi apertè diceret: Lex eſt temporalis ſecundum quod eſt ordinata per angelos, qui cognoſcebant huiuſmodi temporalitatem: quamuis ſecundum quod: eſt accepta hominibus, videatur ſempiterna.

Quarta conditio eſt quòd eſt mediatrix: & hoc ſignificant verba illa, In manu mediatoris: hoc eſt in opere dimidiatoris. Et intendit quòd lex fuit dimidiatoria: pro quanto fuit data non toti generi humano, ſed vni parti, ſcilicet filijs Iſrael: & diſtinctiua fuit illius populi à reliquo mundo. vnde etiam in veſtibus ſigna diſcretiua ab alijs mandauit lex. Et quòd hic ſit ſenſus literalis, apparet ex eo quòd huic ſenſui omnia ſequentia conſonant: ita vt currant abſque ceſſpitatione aliqua: vt patet in ſequentibus. Habuit ergo lex hanc conditionem quòd fuit dimidiatiua generis humani. quo contra fides Abrahæ, ſemen eius CHRISTVM vnitatem mundi facit. Vnde ſtatim Apoſtolus ſubiungit, quòd poſtquam reuelata eſt fides CHRISTI, non eſt Iudæus neque Græcus &c. ſed omnes ſumus vnum in CHRISTO. vt per hoc intelligas quòd ceſſauit dimidiatio legis vbi venit vnitas CHRISTI. Vnde ſtatim ex hac

legis

legis conditione Apostolus materiam obiectionis assumit, dicens: Mediator autem vnius non est: Deus autem vnus est. Non dixit, Mediator duorum aut plurium est: quoniam non loquitur de officio mediandi, hoc est coniungendi vel concordandi duos vel plures: sed dixit negatiuam: scilicet vnius non est: quia dimidiare non est facere vnum, sed scindere vnum. Et per oppositum Deus est vnus in sua promissione: quia vni semini promisit benedictionem omnium gentium. Præmiserat enim quòd Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. nõ dicit, & seminibus, quasi in multis: sed quasi in vno: & semini tuo, qui est Christus. Ad huius quippe vnitatis promissionẽ, per quam cõstituitur totus mundus in vnitate, spectat quod dicitur, Deus autem vnus est, in sua promissione. Ita quòd ex hac legis conditione quòd est dimidiatoria generis humani, nascitur statim quæstio, assumpta propositione vniuersali quòd dimidiator vt sic non est factiuus vnius, & è regione contrapositò quòd Deus est vnus in sua promissione. Nam hinc statim infertur, Lex ergo aduersus promissa Dei: pro quanto promissa Dei sunt in vnitate generis humani in vno semine Abrahæ: & lex non est ad vnitatem, sed ad diuisionem generis humani. Vbi videre potes quàm ad propositum materiæ de qua tractat Apostolus secundum hunc sensum dicta sint hæc verba. Sunt enim adeò ad propositum, vt fuerint valde etiam necessaria ad plenius commendandam promissionem & fidem Abrahæ supra legem. Vnitas nanque vel diuisio generis humani maximam facit differentiam. Et vt plenius appareat veritas dicti sensus, transeunda

ſummariè eſt reſponſio Apoſtoli ad exortã obiectionem, prænotando duo. Alterum eſt, quòd licet hæc obiectio ſit explicitè deducta ex vltima conditione legis, pro quanto quaſi ſyllogizata eſt inde: inſinuatur tamen in litera quòd ex alijs quoque legis conditionibus naſcitur dicta obiectio, dum in numero plurali dicitur, lex ergo aduerſus promiſſa Dei. Ex hoc enim intelligimus concludi legem eſſe aduerſus multa promiſſa Dei, & non ſolum aduerſus vtilitatem promiſſam. Et verè apparet hinc quòd ſit & aduerſus iuſtitiam promiſſam, pro quanto lex propter tranſgreſsionem poſita eſt: & aduerſus hæreditarium ſemen promiſſum, pro quanto durat donec veniat ſemen. duratio ſiquidẽ legis quamdiu eſt, tollit ſeminis illius aduentum: & econtrario. lex ergo aduerſus promiſſa Dei apparet.

Alterum eſt, quòd communis radix omnium infirmitatum legis, quibus differt ac deficit à fide Abrahæ, eſt penes viuificare ſeu iuſtificare animam. Etenim ſi lex poſſet iuſtificare, nõ propter tranſgreſsionem poſita eſſet, ſed propter vitam iuſtitiæ: & ſimiliter nõ duraret donec veniret ſemen, ſed ſemper: vtpote ipſam vitam ſemini promiſſam conferens. & ſimiliter non dimidiaret genus humanum, ſed vniret ipſum in vita ſpiritus. Et propterea Apoſtolus ad radicem ſecurim ponit, ſoluendo obiectionem, dum communem omnium infirmitatum legis rationem reddit, poſtquam reſpondit, abſit, & dicit: Si enim data eſſet lex quæ poſſet viuificare, verè ex lege eſſet iuſtitia: intellige Apoſtolum ſubtiliter impotentiam legis tanquàm ex neceſsitate materiæ ſe tenentem afferre. Ac ſi latius diceret: lex data eſt ſuapte natura impotens viuificare:

care: ita quòd non ex accidente infirmitate, aut ex aliquo defectu priuatiuo lex hanc infirmitatem & consequenter cæteras concomitantes habet, sed ex hoc ipso quòd est lex, sequitur quòd lex est diuersa res à fide & promissione Abrahæ. In cuius signum lex distinguitur contra gratiam Ioan. j. Lex per Moysen data est, gratia per IESVM Christum facta est. fides siquidem pars est gratiæ. Et quòd hoc sit verũ, manifestatur: quia si data esset lex quæ posset viuificare, ex lege verè esset iustitia: quod esset contra promissionem Dei: quia si ex lege, iam non per repromissionem: vt superius dictũ est. Igitur quòd lex sit habens tot conditiones, ex naturali eius impotentia seu infirmitate est. Deinde subiungit quòd non aduersus promissa Dei has conditiones habet lex, sed pro promissis Dei: pro quanto ex eis conditionibus transmittit subditos ad promissionem factam Abrahæ, dicẽs: Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide IESV Christi daretur credentibus. Ideò, inquit, lex scripta clausit omnia præcepta tam de malis vitãdis quàm de bonis prosequendis sub peccato, cognoscendo, cõcupiscendo, permansuro ac puniendo: vt sic transmittat ad desiderandũ & quærendum medicum redemptorem ac saluatorem. Nulla enim ex parte infirmi via quòd velit & quærat medicũ, melior est, quàm morbum propriũ augeri & durare cognoscere, ac puniri, sine liberatione tamen. Sic lex transmisit ad CHRISTVM. nam lex cognitionem peccati dabat (ad Rom. vij. Peccatũ non cognoui nisi per legem.) & puniebat, vt patet: & cõcupiscentiam augebat occasione accepta, vt patet ibidem: & durationẽ peccati ope-

rabatur: pro quanto non poterat interius sanare aut adiuuare. In hoc autem quòd scriptura concluſit omnia ſub peccato, cointelliguntur omnes antedictæ legis infirmitates: quia omnes ſunt in via colligatæ cõmuni ratione, ſcilicet quòd lex non poteſt iuſtificare, ſed ſub peccato ponere: vt facile eſt diſcurrendo deducere.

Soluta autem obiectione ex hoc quòd infirmitates quidem has neceſſariò habet, ſed habet eas & vtitur eis tranſmittendo ad hoc vt promiſsio ex fide Ieſu Chriſti detur credentibus: ex tribus ſimilitudinibus iuxta antedictas tres infirmitates ſeu conditiones legis, manifeſtat Apoſtolus miniſterium legis quo ſeruiebat promiſſo ſemini cuſtodiendo, ducendo, fouendo.

Prima ſimilitudo eſt ad cuſtodem expectantium in tenebris claritatem: ibi, priuſquàm veniret fides. Et hæc reſpondet infirmitati legis quæ poſita eſt propter tranſgreſsionem, qua cõcluſit omnia ſub peccato. Secunda eſt ad pædagogum, ibi, Itaque lex pædagogus. Et hæc reſpicit illam infirmitatem in manu mediatoris. datus ſiquidem pædagogus eſt populo Iſrael tanquàm puero electo præ aliis, ſegregãdo ipſum ab aliis: iuxta illud Deut. xxxij. Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. Vnde huic ſimilitudini annectit Apoſtolus vnitatẽ omnium hominũ in Chriſto. Tertia ſimilitudo eſt ad actores & tutores paruuli hæredis, ibi, Quãto tẽpore hæres paruulus eſt. Et hæc reſpicit illam infirmitatẽ, donec veniret ſemen. Et eſt in his tribus ſimilitudinibus perſpicere ſtatum eorũ qui ſub lege erãt, differẽtem à ſtatu regeneratorum in Chriſto penes tria. In tertia quidem penes ſeruitutem & libertatem, in ſecunda verò

penes

penes imperfectionem & perfectionem, in prima autem penes iniustitiã & iustitiam: vt facile patet inspicienti textum Apostoli & applicenti. Et hæc de de quarta quæstione. In festo circuncisionis Dñi. Anno M. D. XXIIII. Posonij.

TERTIVM IENTACULUM: in quo tres quæstiones tractantur.

OCCVRRVNT tertiò circa diuersa in Nouo Testamento dicta de sacerdotio, quæstiones tres. Prima, de verbis Apoc. c. v. Fecisti nos Deo nostro regnũ & sacerdotes. Et cap. j. Fecit nos regnum & sacerdotes Deo & patri suo. Secunda, de verbis Petri Apostoli in cap. ij. primę suæ epistolæ: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta &c. Tertia de verbis eiusdem Petri apostoli in eodem cap. Ad quem accedentes & ipsi tanquam lapides viui superædificamini domos spirituales in sacerdotium sanctum, offerentes spiritales hostias acceptabiles Deo per IESVM Christum.

CIrca verba Apoc. occurrit quæstio, an sit sermo de sacerdotio propriè, an non? nam ad vtranq; partẽ ratio vrget. Quòd enim de sacerdotibus propriè loquat, habetur tũ ex eo quòd sermo improprius dedecet diuinã reuelationem. Tum ex eo quòd coniunctũ sibi regni nomẽ sumitur propriè quũ dicit, Fecisti nos Deo nostro

regnum & ſacerdotes. Qua enim ratione non impropriatur regni nomen, eadem ratione abdu cendum à proprietate nõ eſt ſacerdotis nomen, quum ſimul ponantur.

Quòd verò nõ propriè ſacerdotis nomen hoc in loco poſitum intelligatur, habetur ex eo quòd ſi propriè dictum eſt, ſequitur Chriſtianos omnes aut ſaltem iuſtos, omnes ſaltem prædeſtinatos eſſe propriè ſacerdotes. quod ſanctæ matris Ecclesiæ pias aures offendit: vtpote multorum hæreticorum dogma. Circa verba quoque Petri Apoſtoli primò inducta occurrit primo ſimilis quæſtio: an ſcilicet ſit primo de ſacerdotio propriè. Nam quòd ſit ſermo proprius, habetur ex duobus. Primò, quia de dignitate populi Chriſtiani loquitur: conſtat autem ad dignitatem ſpectare ſacerdotium propriè dictum, & nõ per ſimilitudinem. Secundò, quia ſermo iſte ſumptus eſt ex verbis Domini ſcriptis à Moyſe Exod. xix. vbi conſtat de ſacerdotio propriè dicto ſermonem eſſe.

Quòd autem non ſit ſermo de ſacerdotio propriè, ex eo arguitur, quia ſequeretur quemlibet Chriſtianum donatum eſſe ſacerdotio propriè dicto: & ſic quilibet Chriſtianus eſſet propriè ſacerdos. Quod hinc tantò clarius ſequitur, quantò manifeſtũ eſt ad populum Chriſtianum hunc ſermonem dirigi, & non ad maiores in Eccleſia: ad quos fortè referri dicuntur ſermones allati ex Apocalypſi. Occurrit deinde ſpecialis quæſtio, cur Petrus apoſtolus referens hæc Domini verba, mutauerit illa. Nam in Exod. Dominus dixit: Vos eritis mihi in regnum ſacerdotale. Petrus verò dixit: Vos autem ſacerdotium regale. Inter quæ quanta ſit diſtantia, monſtrat diuerſa

uerſa ſignificatio ſubſtantiui & adiectiui. Circa demum verba eiuſdem Petri apoſtoli vltimò allata, ſimilis primo occurrit quæſtio de proprietate ſermonis: quia ex vna parte loqui impropriè dedecet ſacram ſcripturam: & ex alia parte ſequitur omnes Chriſtianos eſſe ſacerdotes, ſi ſermo eſt proprius, quum ad omnes dirigatur ſermo iſte. Quæritur deinde, an hoſtias dixerit ſpiritales diminutionis an excellentiæ cauſa: vt ſcilicet hortetur ad offerẽdum ſpiritales hoſtias tanquam meliores hoſtijs coporalibus, vel tanquam ad quales poſſunt.

ANtequam reſpondeatur, prædeclarandi ſunt ex ſacra ſcriptura termini cum differentijs eorum. In duplici ſiquidem ſignificatione inuenitur ſacerdotium in ſacra ſcriptura: ſcilicet vel propriè, vel ſecundum ſimilitudinem ſeu participationem quandam. Et propriè quidem frequentiſsimum eſt ſacerdotis nomen in ſacris literis. Secundum verò ſimilitudinem rerũ quidem eſt ipſum ſacerdotij nomen: ſæpe tamen ſacerdotaliũ operum nominibus ſcriptura vtitur ſic, ſcilicet ſecundum ſimilitudinem ſeu participationem quandam: vt nunc apparebit. Sacerdos igitur propriè, diffinitur ab Apoſtolo ad Hebræos quinto: Omnis, inquit, pontifex, ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs quæ ad Deum ſunt, vt offerat Deo dona & ſacrificia pro peccatis. Nec mireris nouitie, ſi de ſacerdote loquẽdo, ad pontificis diffinitionem tranſire videamur: quandoquidẽ Apoſtolus vt ſynonymis vtitur pontificis & ſacerdotis nominibus: vt patet ibi in multis capitulis. Iuxta hanc ſignificationem conſtat appellari ſacerdotes eos qui officium habebant offerendi Deo ſa-

crificia & oblationes: & ſæpiſsime in ſcriptura nominari. Sacerdotij verò nomine ſecundum quandam ſimilitudinem Petrus apoſtolus vtitur in verbis in tertia quæſtione inductis: vt infrà clarè patebit. Opera autem ſacerdotis pluries inuenimus ſecundum ſimilitudinem applicata ad actus diuerſarum virtutum. Et de interiore actu pœnitentiæ patet in Pſalmiſta, Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. De actu abſtinentiæ, ad Rom. xij. Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam &c. De actu diuinæ laudis, ad Hebræos xiij. Offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt fructum labiorum confitentium nomini eius. De actu beneficentiæ ibidem, Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtijs promeretur Deus. De actu martyrij, Sapientiæ iij. Tanquàm aurum in fornace probauit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos. Et vniuerſaliter de actibus iuſtitiæ in Pſalmo dicitur: Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ. Hæc enim & aliæ huiuſmodi per quandam ſimilitudinem hoſtiæ & ſacrificij dicuntur: pro quanto induunt rationem oblatorum Deo ad eius honorem. Et ſimiliter ſecundum ſimilitudinem ſacerdos dicitur qui hæc ad honorem Dei facit: pro quanto offert huiuſmodi virtutum actus Deo, ordinando illos in honorem Dei.

Ex quibus habes primò quòd ſacerdos propriè eſt nomen gradus, ordinis ſeu officij publici ad offerendum Deo ſacrificium: non curando nunc differentiam inter ordinem, gradum, & officium. Sacerdos verò ſimilitudinariè, nomen eſt virtutis: ſcilicet religionis ſeu ſanctitatis afficientis animum ad diuinum cultum.

tum. Habes secundò conditiones tres requisitas ad propriè sacerdotem. Prima est, quòd sit ex hominibus assumptus. Et hinc gradus seu dignitas monstratur, vt interlin. glossa notauit.

Secunda est, quòd sit pro hominibus constitutus. Et hinc publica vtilitas monstratur, ita vt sit mediator inter Deum & homines constitutus pro hominibus in ijs quæ sunt ad Deum. Tertia est, quòd offerat sacrificia. Et hinc facultas ad supremum oblatorum Deo, monstratur: ad differentiam minorum etiam officiorum publicorum ad offerendum Deo laudes. Nunquam itaque intelligas sacerdotium aut sacerdotē propriè: nisi has in eo inueneris conditiones. Offerentes siquidem quæcūque virtutū opera Deo: assimilātur sacerdotibus, & participant sacerdotium, pro quanto actum oblationis exercent: sed à sacerdotio & sacerdote propriè deficiunt pro quanto non ex publico sacerdotij officio offerunt. Et similiter oblata deficiunt à sacrificijs proportionabiliter: vt infrà clarè patebit. Et si obijciatur cōtra hæc, quòd qua ratione Christus offerēdo seipsum in ara crucis, fuit verè & propriè sacerdos: eadē ratione sancti martyres offerendo seipsos in ara ignis, & aliorum tormentorum, fuerunt verè & propriè sacerdotes: ac per hoc ruunt omnia dicta: quoniam ex sola virtute martyrij voluntarij sacerdotium propriè dictum inuenitur. Et si hoc admittitur, non erit difficile deducere sacerdotium propriè dictum ad offerentes mortificationem carnis & alia huiusmodi.

Ad hoc dicitur quòd inter Christum & alios maxima est in hoc differētia: & pro nūc dicemus triplicem. Prima est, ex parte principij: quia

CHRI

CHRISTVS ex publico sacerdotij officio ob tulit seipsum: ita quòd fuit constitutus sacerdos ad sacrificandũ seipsum: quod de nullo alio etiã suspicari fas est: quia nullus sit sacerdos ad offerendum seipsum in sacrificiũ, sed ad offerendũ in lege veteri vitulum aut ouem &c. & in lege noua corpus & sanguinẽ Domini. CHRISTVS autẽ Dominus ex hominibus assumptus à Deo patre, & pro hominibus constitutus est ad offerendum seipsum per mortem propriam in ara crucis: vt patet per Apostoli processum longum ad Hebræos. Secunda est, ex parte oblationis. Oblatio siquidem CHRISTI fuit secundum substantiã oblationis volũtaria: hoc est, mortuus est quia ipse voluit, nõ solum voluntate diuina, sed etiam voluntate humana: non solum per modum acceptantis, sed per modum causantis: pro quanto in potestate animæ suæ erat prohibere mortẽ suam corporalem, quia erat anima glorificata, & noluit fieri huiusmodi prohibitionem. Vnde singularissimè scriptũ est de hoc voluntario Esa. liij. Oblatus est quia ipse voluit. Et ipse Dominus dicit, Nemo tollit animã meam à me, sed ego ponam eam à meipso. Ioan. x. & de sua quò ad hoc potestate, subdit: Potestatem habeo ponendi animã meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Reliquorum autẽ sanctorum martyrum oblatio non fuit voluntaria quò ad substantiam: quia nõ erat in potestate eorũ mori vel nõ mori: quãuis in potestate eorũ quandoque fuerint circunstantiæ moriendi, puta locus, tempus, modus. Non fuit, inquam, voluntaria nisi per modum acceptantis: pro quanto acceptauerunt mori pro honore Dei, quasi facientes de necessitate virtutem. Tertia, ex parte rei obla

oblatæ. Nam ſanguis CHRISTI fuit ſuapte natura reconciliatiuus, ſatisfactiuus &c. pro alijs, imò pro toto mundo, vt dicitur j. Ioan. ij. ſanguis verò aliorum martyrum ipſis ſolis meritorius eſt. Non eſt ergo ſimilis ratio de ſacrificio mortis CHRISTI, & de ſacrificijs mortis aliorũ martyrum. Vnde manifeſtũ fit CHRISTVM offerẽdo ſeipſum fuiſſe verè & propriè ſacerdotem: ſanctos autem martyres fuiſſe ſacerdotes per quandã ſimilitudinem, vt ſacerdos eſt nomen virtutis.

His præmiſsis reſpondetur ad primam quæſtionem de verbis Apocal. quòd ſermo eſt in vtroq; textu de ſacerdote propriè. Recognoſcuntur ſiquidẽ duo beneficia exhibita Chriſtiano populo: ſcilicet regni & ſacerdotij.

Vbi pro claritate aduerte magnã eſſe dignitatẽ populi ſi erigatur in regnũ, & ſi cõcedatur vt ſint ex eis ſacerdotes: vt teſtatur priuatio eorũdem. ſi enim regnum redigeretur in prouinciã, valde degeneraret: & ſimiliter ſi populus aliquis priuaretur, vt ex eis non poſsint fieri ſacerdotes: aut (quod plus eſt) quòd in eis nõ eſſent ſacerdotes, valde denigraretur. Ad magnũ ergo beneficium populi ſpectat conceſsio vtriuſq; dignitatis: vt ſcilicet populus erigatur in regnũ, & ſuos habeat ex ſuis ſacerdotes. Vtranq; itaque dignitatem collatam Chriſtiano populo eſſe Apocalypſis teſtatur. Et regnum quidem Dei eſt (vt dicitur ad Rom. xiiij.) iuſtitia, pax & gaudium in ſpiritu ſancto. Quod in præſenti incipit: iuxta illud Luc. xvij. Regnum Dei intra vos eſt. In futuro autẽ perficietur: tum quia nec iuſtitia nec pax, nec gaudium in ſpiritu ſancto hîc conſummatur: tum quia CHRISTVS ipſe

expe

expectauit regnare vsquequo transiret in hac vita. Fit ergo Christianus populus regnũ Deo, quum fit iustus, pacificus, & gaudens spiritu sancto. Siste parumper hîc, & nota primò dignitatem regalem explicari per regnum, non per Reges. ait enim : feciſti nos regnũ. & non dicit, feciſti nos Reges: quia regnũ directè sonat dignitatem vniuersitatis, Rex autem dignitatẽ personalẽ : vt hinc intelligas Christianos erectos propriè in regnum, & nõ in reges. vnus enim solus est in Dei regno Rex, propriè loquendo. Nota secundò eandem excellentiam notari, quòd hîc incipiat, & in futuro cõsummabitur: dum verbo præteriti temporis dicitur, feciſti nos regnũ : & verbo futuri temporis subditur. regnabimus super terram. quod tunc verificabitur, quũ Christiani corregnabũt CHRISTO in terra viuẽtium. Nota tertiò dignitatem regalem ita explicatam in præsenti & in futuro per dicta verba, vt intelligeretur excellentiam hanc ita esse vniuersitatis, vt ad personales quoq; actus in futuro se extendat. Et propterea explicata est quò ad futurum per actus regnandi, dum dictum est, & regnabimus super terram. quo contrà sacerdotalis dignitas explicata est per nomen personale, & nihil ad sacerdotes spectans dicitur de futuro : vt intelligeremus aliter cõmunicatam dignitatem sacerdotalem, & aliter dignitatẽ regni: & similiter aliter & aliter se habere ad futurum vtranq; dignitatem. Dignitas nanque sacerdotalis non sic est populi, vt quilibet sit pars sacerdotij : sicut dignitas regni sic est populi vt quilibet sit pars regni : sed sacerdotalis dignitas sic est populi vt habeat ex suis aliquos sacerdotes. Et propterea textus vtitur sacerdotis nomine:

mine: quod nõ est nomen collectiuum, sed singularis personæ. Et vt cõtentiosi ac proterui conuincantur, & videant suauem dispositionem regni & sacerdotij populo cõcessi, exigere dictum intellectum, perspice & clarè intuere alium sensum (scilicet quòd quilibet de populo sit sacerdos) destruere seipsum. Nam si sic, Christianus populus habet dignitatem sacerdotij, vt quilibet sit sacerdos propriè loquendo, sequeretur de necessitate quòd nullus Christianus est sacerdos: quia sacerdos ex hominibus est assumptus & pro hominibus constitutus in ijs quæ sunt ad Deum &c. ac per hoc si quilibet est assumptus & constitutus, nulli sunt ex quibus assumitur & pro quibus constituitur: nisi si fortè diceretur, quòd remanent infideles ex quibus assumitur, & pro quibus constituitur. Quod primò est ridiculum, sacerdotes nostros fieri pro infidelibus. Deinde non effugit vim argumenti: quia si totus mundus esset Christianus, nullus Christianus esset sacerdos: quum nulli homines remanerent ex quibus sacerdos assumeretur, & pro quibus constitueretur: sicut si quilibet homo esset rex, nullus homo esset rex: quia nullus haberet super quos regnaret. Sapientia ergo diuina disponens omnia fuauiter, reuelauit Christiano populo vtranque dignitatem collatam, ita vt intelligatur vtraque fuauiter collata, illa regia secundum suauitatem regni, sacerdotalis verò secundum suauitatem sacerdotij: vt scilicet ex Christianis aliqui sint assumpti & constituti pro alijs sacerdotes. Et sicut verè & propriè dicitur, fecisti nos Deo nostro regnum, colligendo omnes Christianos in regnum Dei: ita verissimè etiam dicitur,

fecisti

feciſti nos ſacerdotes Deo, aſſumendo ex nobis, & cõſtituendo pro nobis aliquos noſtrũ ſacerdotes: quoniam ſic & veriſimè & proprijſsimè verus eſt ſermo iuxta ſubiectam materiam: & totus populus recognoſcit beneficium vtrunque eſſe ſuum, quamuis diuerſimodè, quia primum in ſingulis, ſecundum in quibuſdam, ex ſingulis tamen & pro ſingulis. Et quia in patria nõ erũt ſacrificia, ſicut nec templum (iuxta illud Apoc. xxj. Templum non vidi in ea) ideò nihil in futurum de actu ſacerdotis dicitur: quamuis ſacerdotalis dignitas maneat in æternum. Et ſic patet ſolutio primæ quæſtionis, admittendo dicta Apoc. verba ad vniuerſum Chriſtianũ populum referri: quod tamen multi fortè non admitterẽt. Et verba quidem allata ex v. cap. nõ ſunt populi Chriſtiani, ſed animalium & ſeniorum: à quibus diſtingui reliquum Chriſtianũ populum apparet intuenti textum: exprimentem vltra animalia & ſeniores angelos & omnem creaturam, in cœlo, ſuper terram &c. Verba autem primi capituli Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ ſunt, Qui erat ſacerdos. & in perſona ipſius & ei ſimilium gloſſari poſſunt. Hæc de prima quæſtione.

AD ſecundam quæſtionẽ de verbis Petri Apoſtoli, pro quanto ſimilem petit difficultatem, patere poteſt ex dictis reſponſio. Et breuiter dicitur quòd eſt ibi ſermo de ſacerdotio propriè dicto, & quòd ſecundũ rem ſignificatur ibi vtraque dignitas, regni ſcilicet & ſacerdotij, collata Chriſtiano populo. Quò ad modum verò explicãdi, aliter explicata eſt à Petro apoſtolo quàm fuit à Ioanne Euangeliſta: nam Petrus non explicauit illam per nomen perſonale (non enim dixit, vos eſtis ſacerdotes) ſed per nomen ipſius

digni

dignitatis sacerdotalis,dicendo, Vos estis sacerdotium. vt per hoc eruditus quisq; facile posset intelligere quid significatur:scilicet quòd in illis esset dignitas sacerdotij, scilicet in vobis est dignitas sacerdotij. Quod sufficientissimè verificatur habẽdo ex seipsis quosdam sacerdotes:& non oportet verificari sic,vt singuli sint sacerdotes:quia vt deductũ est,si singuli essent sacerdotes,nullus esset sacerdos. Quum verò secundò quæritur,cur Petrus mutauerit verba Domini in Exod. dum ibi dicitur,Regnũ sacerdotale:Petrus autem ait,sacerdotiũ regale. Respõdetur ea ratione factã esse mutationem,quia illud regnũ, vtpote temporale,decorabatur dignitate sacerdotali tanquam illustriore:sacerdotium verò nostrum,quãuis spiritalius,decoratur tamen regno Dei æterno,vtpote clariore & meliore. hinc eñ factum est vt ibi regnũ significaretur decoratum sacerdotali dignitate,dicendo,Regnum sacerdotale.hîc verò sacerdotium significaretur decoratum regno,dicendo,Sacerdotiũ regale. Declaro singula.Promisit populo Israel Deus si seruaret mandata sua quatuor : vt dicitur Exod. xix. Eritis mihi in peculium de cunctis populis (mea est enim omnis terra) & vos eritis mihi in regnũ sacerdotale,& gens sancta. Vbi primò promittit Deus habiturum se populum Israel in specialiter propriam rem ad similitudinem peculij, quod specialiore quodam iure possidetur quàm id quod cõmuniter habetur, vnde & dicitur peculium castrense vel quasi &c. Propterea siquidem interponit, mea est enim omnis terra. tanquàm diceret:licet ego sim vniuersalis Dominus totius orbis communi iure creationis, gubernationis &c. vos tamen eritis mei quasi speciali

quodam iure, propter ſpecialē curā quā habebo de vobis quaſi de peculio. Et huic ſuo peculio adiecit tres dignitates: ſcilicet regni, ſacerdotij, & ſanctitatis. Regni quidē tēporalis: quoniā erigebat populū illum in temporale regnum ipſius Dei, ita ꝙ Deus eſſet illis rex, & ipſi eſſent eius regnū. Nec hoc ego fingo, ſed ſcriptura teſtatur multipliciter. Tum primi Reg. viij. vbi populo petēte conſtitui ſibi hominē in regē, Dominus dixit ad Samuelē: Nō enim te, ſed me abiecerūt ne regnē ſuper eos. Tū quia ibidem xij. Samuel dixit populo ad idē propoſitū: Dixiſtis, rex imperabit nobis, quū dominus Deus veſter regnaret in vobis. Tū quia in prędicto viij. c. reprehenditur populus de hac ſua petitione, quæ nō eſſet reprehēſione digna niſi ratione iniuriæ quam faciebant Deo, refutātes illū pro rege, & volentes habere hominē in regem ſicut cæteræ gentes habēt. Vnde populus Iſrael paruo tēpore dignitatem regni Dei retinuit: ſcilicet à Moyſe vſq; ad Samuelē. poſtea autē in regnū hominis degenerando tranſiit. Et hoc etiam parum retinuit, ſub tribus ſcilicet regibus tantum: Saule, Dauid, & Salomone. Nam poſtea nō fuit amplius regnum hominis, ſed ſciſſum eſt in regna hominum. Tem poralem ergo dignitatem regni Dei vt ſpecialis Regis eorum promiſſam à Deo, ſi ſeruarent mandata eius, quia latens erat, quia Rex inuiſibilis erat, oportuit decorare & illuſtrare claritate dignitatis ſacerdotalis, quæ in manifeſto poſita fuit. & propterea dicitur regnum ſacerdotale. In cuius ſignum ſuprema iudicia ſummo ſacerdoti reſeruata ſic erant, vt morte puniendus eſſet qui non pareret iudicato: vt habes Deutero. xvij. Et reuocatio profugorū vſq; ad mortem ſummi

ſacer

ſacerdotis decreta fuit, Ioſue xx. Tertia demum dignitas (ſcilicet vt eſſet gens non prophana, non ſuperſtitioſa, non ſacrilega, vt gentes ignorantes Deũ, & colentes idola: ſed ſancta, hoc eſt dicata Deo vero per verũ cultum) manifeſta eſt. Petrus autem apoſtolus mutauit peculium in genus electum, explicans & ſpecialitatem electorum, & originem per æternam electionem, & modum exequendi electionem per viam generationis. generantur ſiquidem Chriſtiani per baptiſmum. Dignitatem verò regni altiorẽ inſinuauit ſacerdotali. Et verè ſic eſt: quia ſacerdotium Chriſtianum eſt ſacerdotium regni: ſicut euangelium eſt euangelium regni, proculdubio æterni: vt explicat etiam Apoſtolus ad Hebr. ix. CHRISTVS aſsiſtens pontifex futurorum bonorum, hoc eſt eorum quæ in futuro ſeculo expectamus. Conſtat autem longè melius & illuſtrius eſſe æternum Dei regnum, quàm præſens ſacerdotium: quoniam hoc ſacerdotium eſt propter illud regnum, & non econtrario. Rationabiliter itaque mutauit Petrus dicens, ſacerdotium regale: propter excellentiam æterni regni, cuius eſt ſacerdotium noſtrum. Et hoc ita accipito ſecundum literalem ſenſum ſcripturæ, vt non reſpuas etiam poſſe dici noſtrũ ſacerdotium regale, quia eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, qui rex & ſacerdos fuit. Et hæc de ſecunda quæſtione.

AD tertiã quæſtionẽ de verbis eiuſdem Petri apoſtoli, Ad quẽ accedentes &c. reſpondetur ꝙ ſermo eſt hîc de ſacerdotio non propriè, ſed metaphoricè. Quod ex contextu apparet. Tum ex præcedentibus: nam metaphorico ſermone præponit lapides viuos, & ſuperædificari in domos ſpiritales. Tum ex ſequentibus: nam meta-

phorico quoq; ſermone ſubiungit ſpiritales hoſtias. Ex his enim manifeſtũ fit ꝙ metaphoricè quoq; loquitur de ſacerdotio, exhortans fideles vt accedẽtes ad CHRISTVM ſpiritalibus pedibus, tanquã viui lapides ſuperædificentur in ſpiritales domos & in ſpiritale ſacerdotium ad offerendũ ſpiritales hoſtias: vbi clarè patere poteſt totum ſermonẽ eſſe metaphoricũ: & ſignificari per hoc ſacerdotiũ virtutis, quo aliquis offert opera virtutis Deo: vt ſuprà diximus. In cuius ſignum appellatum eſt ſacerdotiũ ſanctum, à ſanctitatis virtute: cuius eſt afficere animum ad diuinum cultũ. Sanctitas enim licet credatur illamet virtus quæ eſt religio: in hoc tamen ab ea differt, ꝙ ipſa primò reſpicit animum, religio verò opera. Vnde vacantes exteriori cultui diuino, religioſi appellantur: ſancti autem minimè, niſi animo mundo ad diuinum ſe habeant cultum. Ad mundo igitur animo offerendum virtutis opera Deo, hortatus eſt, dum in ſanctum ſacerdotiũ prouehere Chriſtianos ſtuduit. Nec hinc ſequitur aliquod inconueniens aut dedecens ſacram ſcripturam: quoniam aliud eſt impropriè loqui, & aliud eſt metaphoricè loqui: vt patet: & metaphorica locutio frequens eſt in ſacra ſcriptura.

Ad id verò quod deinde quæritur de ſpiritualibus hoſtijs, an meliores ſunt &c. reſpõdetur dicẽdo tria, præmiſſa tamẽ prius ratione nominis. Actus virtutum interius eliciti, & exterius imperati, ſi ad honorem Dei fiunt, dicuntur ſpirituales hoſtiæ à cõmuni ratione, quia hoſtiæ ſunt ſecũdum ſpiritũ, ſicut domus ſpiritualis dicitur, quia domus eſt apud ſpiritũ. Interior autẽ virtutis actus ad Deum relatus, dicitur ſpeciali etiam

ratio-

ratione hostia spiritalis, scilicet ratione materię: ita ꝙ est vtroq; modo spiritalis: & vocatur sacrificium inuisibile à sanctis doctoribus. Primum itaq; est, ꝙ spiritales hostiæ secundum rationem hostiæ sunt diminutiuè hostiæ: hoc est, sunt hostiæ secundum quid, & non simpliciter: ita ꝙ ly spiritalis est conditio quasi diminuens rationem hostiæ, seu dicens hostiam secundum quid. Hostia enim simpliciter & absolutè nomen est corporalis sacrificij. Exemplum: Domus est nomen rei corporalis: & propterea domus spiritalis non est domus simpliciter, sed metaphoricè, seu secundum quid.

Secundum est, ꝙ comparãdo hostias spiritales hostijs absolutè, quæ sunt sacrificia corporalia: meliores sunt simpliciter hostiæ spiritales. Et ratio est: quia hostia spiritalis est virtutis reddentis hominem Deo gratũ, & qua nemo potest malè vti. sacrificia autem stant cum immundo animo. & illæ sunt propriæ bonis: istæ autem communes sunt bonis & malis. vnde Esa. j. Dominus dicit: Quo mihi multitudinem victimarũ vestrarũ? incensum abominatio est mihi. Et tãdem rationem reddẽs subdit: Manus vestræ sanguine plenæ sunt. Et Dominus in Euangelio Mat. ix. Eũtes discite quid est, Misericordiã volo, & nõ sacrificium. quod scriptũ est Osee vj. vbi additur: Et scientiã Dei plus quàm holocaustũ. Misericordia enim & scientia Dei spiritales sunt hostiæ. Tertium est, ꝙ hostia noui testamenti in seipsa quidem melior est omnibus, quum sit ipse CHRISTVS Deus noster. Sed oblatio eius ex parte offerentiũ non est melior hostijs spiritalibus, sed quãdoq; est pessima: vt patet. Quum Petrus ergo Apostolus ad offerendas spiritales ho-

stias inducit, ad meliores offerentibus inducit, quamuis ad diminutiones in ratione hostiæ. Et hæc de tertia quæstione. Posonij in festo Pauli primi eremitæ.

M. D. XXIIII.

QVARTVM IENTAculum: de nouem Beatitudinibus euangelicis.

OCCVRRVNT quartò euãgelicæ beatitudines tractandæ, positæ Mat. v. Circa quas antequàm singulæ tractentur, quinq; occurrunt quæsita. Primum, cur Dominus in principio has beatitudines proposuit. secundò, cur multas. tertiò, cur tot: id est nouem. quartò, cur pluraliter. Et quintò, an gradatim enumerẽtur.

Et ad primum quidẽ quæsitũ respõdetur, Dominũ in principio legis Euãgelicæ beatitudines proposuisse duplici ratione. Altera est, quia sunt fines: quia perfectiones istæ quæ vt beatitudines proponũtur, sunt in præsenti vita vt fines. Quod ex eo patet, quòd quælibet earum proponitur vt vestita beatitudine ex ratione finis vltimi in patria. In qualibet siquidẽ beatitudine ponũtur quatuor. Primo, perfectio aliqua: puta esse pauperem spiritu, esse mitẽ &c. secũdo, ratio beatitudinis, in verbo, beati. tertio, deriuatio beatitudinis, in verbo, quoniam: quarto, finis vltimus in patria: puta regnum cœlorũ, possidere terrã &c.

Quia

Quia ergo in qualibet beatitudine ponitur finis vltimus futurus in alia vita (puta regnum cœlorum &c.) & hic finis ponitur vt ratio beans actũ propinquũ tali fini: puta esse pauperem spiritu, esse mitem &c. consequens est vt quælibet sit finis. beatitudo enim habet rationẽ finis. Et meritò, nam huiusmodi actus propinqui futuræ vitæ sunt supremæ perfectiones huius vitæ, & ideo habent rationẽ finis. Et propterea Saluator sapientissimè in principio Euangelicæ legis proposuit vtrũq; finem: & eum scilicet ad quẽ tandẽ tendimus assequẽdum in patria: & eũ seu eos quibus mediãtibus in hac vita appropinquamus ad finem cœlestis patriæ. Finis enim habet rationem principij in operabilibus: quia ex fine sumitur ratio operandi. Et hinc habes quàm differenter à philosophis Saluator docuerit felicitatem huius vitæ. Illi nanq; quæsierũt huius vitæ felicitatem absolutè, hoc est in seipsa. Saluator autẽ docuit huius vitæ felicitatẽ relatiuè ad æternũ patriæ gaudiũ: & ideo vt dictũ est proponẽs beatos, apponit: quoniã ipsorũ est regnum cœlorũ, aut aliquid simile. Et propterea illi posuerunt nostram hîc beatitudinẽ quasi præmiũ vltimũ. Saluator autẽ ponit nostrã hîc beatitudinẽ vt meritũ propinquũ pariẽs æternum in futuro præmiũ. Altera ratio est, quia huiusmodi perfectionis rationẽ habet exemplaris: ad quod in hac via inspiciendo, mensurare possimus quãtum proficiamus, & quantũ deficiamus à perfectionis apice: vt quum aliquis circa ea quæ sunt mansuetudinis curat proficere, mensuret se aspiciendo ad beatitudinem qua dicitur, Beati mites. Et sic de alijs.

Ad secundum quæsitum (cur non vnã, sed multas posuit beatitudines) respondetur, q̃ quemad-

modum in domo cœleſtis patris manſiones multas eſſe docuit: ita multas beatitudines eſſe in hac vita reuelauit, quaſi vias multas perducẽtes ad cœleſtem patriã: vt hinc diſceremus nõ eſſe felicitatem Euangelicã in hac vita, ſicut felicitas quã ſtuduerũt ponere diuerſæ philoſophorũ ſectæ: quarũ vna excludebat aliam: ita ꝙ nõ erat felix verbi gratia apud Peripateticos, niſi perueniens ad contemplationẽ ſapiẽtiæ &c. CHRISTVS enim poſuit ſic beatos in hac vita pauperes ſpiritu, vt poneret etiam beatos mites, & rurſus poneret etiã beatos miſericordes &c. ita vt qui miſericordiæ perfectione eſſet beatus, non excluderet eum qui munditia cordis beatus eſſet: & ſic de alijs. Monſtraturq; hinc communes eſſe toti humano generi beatitudines viæ huius, dum alius ſic & alius ſic ire poteſt.

Ad tertium quæſitũ de certo numero, reſpõdetur nouẽ apud Matthæũ à Domino propoſitas beatitudines cõſiſtentes in nouẽ affectionibus perfectionũ. Verùm ſeptẽ primæ (quæ ſolæ conſueuerũt à multis dici beatitudines) conſiſtunt in ſeptẽ ſtudijs agendi: vltimæ verò duæ cõſiſtunt in perfectione nõ agẽdi, ſed patiendi. Quæ inter ſe diſtinguũtur ex diuerſa patiendi ratione: dum ratio patiẽdi in octaua eſt deitatis cõfeſsio ſecundum quãcunq; virtutẽ abſolutè: in nona verò ratio patiendi eſt confeſsio verbi incarnati. quod ſpecialẽ ingerere difficultatẽ immenſitas myſterij mõſtrat. Sed ad hoc quæſitũ plenior reſpõſio poſt diſcuſſas omnes beatitudines apparebit: nõ prætereundo ꝙ ideo ſolæ primæ ſeptẽ computantur beatitudines, quia ſolæ ipſæ ſunt in poteſtate ſtudij noſtri poſitæ: vtpote in actionibus noſtris conſiſtentes. Nam reliquæ duæ nõ ſunt in po

in poteſtate noſtra. perſecutiones enim in iniquorum poteſtate ſunt: & ſi nemo nos perſequitur, nullus eſt qui patiatur perſecutionem propter iuſtitiam aut propter CHRISTVM.

Septem igitur ſunt beatitudines abſolutæ: nouem autem ſuppoſitis perſecutionibus contra iuſtitiam & contra CHRISTVM.

Ad quartũ autem quæſitũ (cur quælibet beatitudo pluraliter propoſita ſit, dicendo beati) reſpondetur hoc ideo factũ eſſe, vt in qualibet beatitudine multitudo cõprehenderetur infinita hominum qui poſſent ſi vellent eſſe ſecundum illam beati: ita vt non ſolùm multitudo beatitudinum multitudinem monſtret beatorum, ſed quælibet beatitudo multos comprehẽdat in hac vita beatos: dum non ſingulariter dicitur, beatus, ſed pluraliter dicitur, beati.

Ad quintum quæſitũ, ne idem pluries repetatur, ſeruanda eſt reſponſio poſt declaratas ſingulas beatitudines tunc enim præintellectis ipſis beatitudinibus, gradus earum apparebit.

CIrca primam beatitudinẽ (ſcilicet, beati pauperes ſpiritu: quoniã ipſorũ eſt regnum cœlorum) ſcito duplicem inuenini expoſitionẽ. Primò, vt declaretur perfectio hominis in ordine ad bona tẽporalia: quales ſunt diuitiæ, agri, domus, & cætera huiuſmodi. Secũdo, vt declaretur perfectio hominis in ordine ad quæcunq; magnificantia hominem: vt ſunt gloria, fama, dignitas, ſcientia, ſanitas, pulchritudo &c. Et iuxta primũ ſenſum, paupertatis nomen propriè ſumitur: ſpiritus verò ſumitur pro voluntate, non quacunq;, ſed ſpiritali, non quomodolibet, ſed per modum impulſus ſeu affectus: ita quòd eſſe pauperem ſpiritu, eſt velle ſpiritali ratione & impulſu ſeu affe

ctu paupertatem: siue secundum exteriorem possessionem sit pauper, siue non.

Quod vt plenius intelligas, recolito apud philosophiam moralem duas inueniri virtutes circa dispositionē hominis in huiusmodi rebus: liberalitatem scilicet & magnificentiā. satis enim bene dispositus est moraliter homo in vsu huiusmodi exteriorū bonorum, si est liberalis in mediocribus, & magnificus in magnis. Lex autē diuina in veteri testamēto altiorē videtur ingerere perfectionē, auertendo interiorē affectū ab huiusmodi bonis. Diuitiæ, inquit, si affluāt, nolite cor apponere. Et rursus, Beatus vir qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris. quis est hic, & laudabimus eū? Euangelica autē doctrina perfectiorē animū formāt, ad cōtrariū (paupertatem scilicet) cor vertēs. Et hoc dupliciter. Hoc est vel statū paupertatis: iuxta illud: Si vis perfectus esse, vade, vēde omnia quæ habes, & da pauperibus &c. Vel ad internū meritū paupertatis: iuxta hanc beatitudinē, Beati pauperes spiritu. Vbi videre potes ad quātū perfectionis apicem ascēdit pauper spiritu, superato tā liberali quàm magnifico rectè vtēte tēporalibus bonis, superato quoq; tollente affectū suum ab huiusmodi bonis, dum affectū suū ad cōtrariū (paupertatē scilicet) habet. Et quia paupertas non est laudabilis secundū se, ideo nō est dictū, Beati pauperes voluntate, sed spiritu: hoc est voluntate spirituali: qualis est volūtas paupertatis propter bonū spirituale. Et quoniā huiusmodi spiritalis voluntas inueniri potest vel per modū acceptātis (cuiusmodi est volūtas hominis parati sustinere ꝓpter bonū spirituale paupertatem si illata fuerit) vel per modum affectus seu impulsus (cuiusmodi est

volun

voluntas desyderantis propter bonum spirituale paupertatem: & hic modus longè præstãtior est, & significatur per nomẽ spiritus) ideo descripti hoc in loco pauperes spiritu, ad summum perfectionis apicem secundum internũ meritũ peruenerunt. Nec minores sunt merito essentiali ijs qui ob perfectionis studium exteriora relinquũt vt sequãtur CHRISTVM: facerent siquidem & hoc pauperes spiritu, si viderent expedire.

Aduerte hic tam pro hac quàm pro alijs beatitudinibus, constitui beatitudinem in perfectionis apice, sic vt progressus & distinctio incipiẽtium, proficientium, & perfectorũ admittatur in qualibet. Et perfecti quidem beati absolutè dicuntur: alij verò quantũ sapiunt illius perfectionẽ, tantum sapiunt & beatitudinis. Verbi gratia: iuxta hanc beatitudinẽ perfecti sunt qui voluntate spiritali per modum impulsus afficiuntur ad paupertatem, & simpliciter dicuntur beati pauperes spiritu. Vt proficientes verò sunt, qui spiritali voluntate parati sunt paupertatẽ si venerit, sustinere. Et quasi incipientes sunt, qui affluentibus diuitijs cor non apponunt. Vnde & vtrique à beatis pauperibus spiritu non omnino excluduntur: sed inter ipsos quodammodo computantur. Et sic de similibus. Hæc de primo sensu.

IVxta secundum autem sensum, quo optima dispositio hominis ad quæcunque ipsum magnificentia describitur, paupertatis nomen metaphoricè sumitur: & significat insufficientiam hominis ex seipso. Et bene nota quòd non significat insufficientiam hominis, sed insufficientiam hominis ex seipso. Quod vt plenius intelligas, recolito hominem sicut & quamlibet rationalem creaturam duo habere. Alterum

ex

ex seipso: & hoc est insufficientia & vniuersaliter defectus. Alterum, ex diuina largitate, & hoc est sufficiētia, & vniuersaliter bonū. Docuit hāc distinctionem Apostolus ij. ad Corinth. iij. scribens, Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Vnde manifestè cernis Apostolum distinguere id quod conuenit nobis quasi ex nobis, & hoc esse insufficientiam: & id quod conuenit nobis ex Deo, & hoc esse sufficiētiam.

Quod vt plenius adhuc intelligas, accipe exemplum ab aere illuminato siue à sole, siue à lucerna: est enim ibi distinguere id quod conuenit aeri ex se, & id quod conuenit aeri ex illuminãte. aer nanq; ex se nullum habet lumē, sed quantum est ex se, semper est tenebrosus: quicquid autem luminis habet, & quicquid potest ex lumine quod habet, ab illuminante habet. Sic quoq; in nobis inuenitur, quòd nos ex nobis nullum habemus bonum, sed defectus & insufficientiæ pleni sumus: ex Deo autem habemus quicquid boni habemus. Et sicut in aere quantumcunque illuminato semper durat tenebrositas quantum est ex parte aeris (quia semper aer quantum est ex se, tenebrosus est) ita in homine semper perseuerat secū insufficientia huiusmodi: quia quātumcunq; perfectus non solum in hac via, sed in patria homo sit, semper hanc conditionem retinet, quòd quantū est ex se, est insufficiens ac defectiuus: propter quod de beatis angelis scriptū est, Tremunt potestates. Bona siquidem à Deo nobis collata, non ad hoc cōferuntur vt tollant huiusmodi insufficientia, sed vt faciant nos vt Dei ministros, idoneos ac bonos, sufficiētes &c. ita quòd nos tanquam ex nobis semper insufficien

cientes inuenimur: & nosmet tãquam Dei cooperatores & ministri, potentes, scientes, boni, & vniuersaliter sufficientes inuenimur. Habes ergo ex his omnibus quid metaphoricè paupertatis nomine in proposito intelligam?: scilicet insufficientiã hominis ex seipso. Spiritus nomine interiorem affectum per modum impulsus intellige. Restat vt explanetur quid significat hoc coniunctũ, scilicet Pauperes spiritu. Non enim significat propriè loquendo habentes pauperem spiritum. Vnde & Dominus non dixit, Beati pauperes spiritu, quod significaret habentes pauperẽ spiritum. Et in prõptu ratio est: quia spiritus nõ debet esse pauper, sed magnus & diues: pusillus enim spiritus vitiũ est, sicut & paupertas spiritalis. Sed significat vtentes in suo spiritu (id est affectu) paupertate dicta, hoc est insufficientia propria. Quod vt plenius intelligas, consydera huiusmodi paupertatem seu insufficientiam non esse de genere bonorum seu laudabilium, neque de genere peccatorum seu vituperabilium, sed conditionem necessariò concomitantem rationalem creaturam. Et licet ipsa insufficientia non sit in se laudabilis: vsus tamen eius secundum rectam rationem valde commendabilis est. Dictat autem recta ratio, vt huiusmodi insufficientia vtamur dupliciter in studijs, & affectibus nostris. Primò, vt remouente prohibens: hoc est, vt tollente impedimentum optimi progressus spiritus nostri. Impeditur siquidem plurimum spiritus noster, si vtamur illo tanquam sufficientes: vsurpamus nanque tunc sufficientiam nostram tanquam ministrorũ Dei: & facimus nostram absolutè, dum ad studia nostra & opera nostra procedimus tanquam sufficien-

cien.

ciẽtes: quum tamen in veritate aut ſufficiẽtiam ad id habemus tanquã Dei miniſtri, vel totaliter non habemus. Si enim vteremur inſufficiẽtia noſtra applicando illã ad remouendum impedimentũ ſtudiorũ noſtrorũ (hoc eſt ad remouẽdum hoc impedimentum, quo ſcilicet procedimus in operibus noſtris tanquam noſipſi ſufficientes ſimus) ſic paupertas huiuſmodi redundaret in ſpiritũ per laudabilẽ ipſius vſum. Et ſic quũ dicitur, beati pauperes ſpiritu, ſignificantur beati in ſuo ſpiritu vtentes ſeipſis tanquam inſufficientibus. Acſi apertè diceret: Beati qui in affectibus & ſtudijs ſuis ſe habent tanquã inſufficiẽtes in ſeipſis. Vtimur ſecundò laudabiliter huiuſmodi paupertate ſeu inſufficientia per redundantiam in noſtrum ſpiritum ſecundũ conformes ipſi paupertati ſeu inſufficientiæ affectus: cõformis nanque affectus huiuſmodi paupertati eſt affectus ſubiectionis, recurſusq; ad eum à quo eſt ſufficientia. Sicut enim extrinſecus pauper cum obſecrationibus loquitur, non confidẽs in ſeipſo, ſed recurrens ad aliũ, & ſubijciẽs ſe, ita interna hæc inſufficientia ſeu paupertas parit affectum in ſe non confidẽtis, ſed recurrẽtis ad Deum, & ſubijcientis ſe illi, & reuerentis &c. Et ſic complectẽdo totũ, beati pauperes ſpiritu dicũtur, qui in operibus ſuis & ſeipſis vtuntur vt inſufficientibus, & affectus habent cõformes huiuſmodi paupertati. Et hoc à multis doctoribus appellatur paupertas ſpiritus. Summa autem perfectio in huiuſmodi paupertatis vſu cõſiſtere videtur in hoc quòd quũ deliberatè operaẽ intus vel extrà, non ſolum ex electione deliberatè, & ex humilitatis habitu inclinãte, ſed per modũ impulſus ſeu impulſiui affectus vtaẽ ſeipſo tãquàm inſufficiente:

te:& rursus q̃ homo in affectib⁹ suis quos quasi nõ deliberãdo habet, vtaĩ seipso tanquã insufficiẽte, tanquã is qui spiritu dei agit. Et ad tã eminentem perfectionẽ designãdam nomine spiritus Saluator vsus est, dicens beati pauperes spiritu.

Quo fit, vt pauper spiritu excedat non solum communẽ apud morales philosophos, qui contra moralẽ superbiã recte disposítus ponit: sed etiam humilẽ apud sacrã doctrinam, qui contra reuelatam superbiã bene disposítus est: quanto spiritus reuerentialis timoris Dei præstãtior est vtroq;. Et humilitatis quidẽ exemplũ atq; magistrũ se Dominus exhibuit, dicẽs: Discite à me quia humilis sum corde. Reuerẽtialis autẽ spirit⁹ efficaciã in ipso domino scripsit apostolus, q̃ in omnibus exauditus est pro sua reuerẽtia. Extẽditur autẽ hæc beatitudo ad quæcũq; magnificãtia hominẽ (siue sint exteriora bona, siue corporis, siue animæ, tam naturalia quàm gratuita) magnificamur enim ex diuitijs, gloria, honore, laude, sanitate, pulchritudine, ingenio, scientia, prudẽtia, & demum infusis diuinis donis: ex quibus periclitamur, ne sufficientiam quam in nobis tanquam Dei ministris ponunt, vsurpemus nobisipsis. vnde & Paulus dicebat: Ne magnitudo reuelationum extollat me &c. Et propterea qui ad hanc beatitudinem perueniunt, ij sunt qui implent præceptum Petri apostoli, ad omnia se habentes vt cooperatores & ministri Dei. Ait enim: Vnusquisque sicut recepit gratiam in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. siquis loquitur, quasi sermones Dei. si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus: vt in omnibus honorificetur Deus. Et simile est de

alijs

alijs operationibus præceptum intelligendum: quoniam eadem est ratio omnium. Et quoniam internas nostras dispositiones ex delectatione & tristitia cognoscimus & mensuramus, si quis seipsum nosse vult quantum vtatur vel non vtatur seipso vt insufficiente in operibus suis, aduertat quantū tāgitur delectatione quum magnificatur, honoratur, laudatur &c. ab alijs: aut etiam quum sibi occurrit se æstimari, magnificari, laudari &c. & similiter quantum tangitur tristitia, quum contraria horum de seipso occurrunt in animo, vel ab alijs inferuntur. Qui enim huiusmodi delectationibus vel tristitijs tangitur, pauper spiritu non est: quoniam pauperi spiritu nihil est admirabilius propria laude, nec gaudet aut tristatur de huiusmodi, nisi pro quanto Deus in suo ministro honoratur vel dehonoratur.

DE præmio autem huius beatitudinis (scilicet quoniam ipsorum est regnum cœlorum) duo dicenda essent. Primum, cur regnum cœlorū respondet huic beatitudini.

Secundum, cui hoc præmium significatur per verbum præsentis temporis, quum in alijs beatitudinibus ponatur verbum futuri temporis. Et hæc secunda dubitatio communis est etiam octauæ & nonæ beatitudini: quoniam in his tribus significatur præmium per verbum præsentis tēporis: in reliquis verò sex per verbum temporis futuri. Et rursus in his tribus significatur verbum substantiuum, scilicet est: in alijs verò per alia verba, videbuntur, consolabuntur &c. Sed hæc communia in fine omnium beatitudinum dicentur. Ad primū autē in promptu est responsio ex illa diuina regula: Qui se humiliat, exaltabitur. Rationis siquidē ordo poscit vt qui voluntā

luntario ſpiritu paupertatem amplexus eſt, aut ſeipſum abiecit, vtendo ſeipſo vt inſufficiente, exaltetur in regni cœleſtis diuitias, celſitudinẽ, dignitatem, gloriam &c. quæ regni nomine importantur. Et hæc de prima beatitudine.

CIrca ſecundam beatitudinem. (Beati mites, quoniam ipſi poſsidebunt terram) aduertendum eſt mitem reſpicere duas materias: quarum principalis eſt vindicta, ſecundaria autem exterior mos. Et quantum ad vindicabilium materiam ſpectat, mites dicuntur qui non vincuntur à malo: ſed vincunt in bono malum. Non enim vincuntur à malis iniuriarum, iræ, perturbationis & triſtitiæ: ſed imperturbati & immutati, ac ceſsibiles & tractabiles permanent ſicut prius erant antequàm huiuſmodi vindicabilia occurrerent. vincunt autem in bono malum, dum affabiles, vtiles ac ſuaues ſeipſos exhibẽt ijs qui puniendi ſeu obiurgandi occurrunt. Et hoc propriũ videtur eſſe mitis, vnde apparet quòd mitis ſuperat lenem, manſuetum, ac clementẽ, dum placida ſuauitate ſeipſum impugnantibus exhibet etiam vtilem. Eſt autẽ perfectio hæc tanta, vt Saluator ipſe magiſtrũ ac exemplum eius ſpecialiter ſe exhibuerit, dicens, Diſcite à me quia mitis ſum. & Deum mereatur habere pro interno doctore, iuxta illud, Docebit mites vias ſuas. Et Moyſes, (de quo Nu. xij. ſcriptũ eſt quòd erat mitiſsimus ſuper omnes homines qui morarentur in terra) creditur à Diony. ob hanc virtutem habuiſſe tantam cum Deo familiaritatẽ. Apparet quoq; excellentia eius ex eo quòd religionẽ ipſam reddit Deo acceptabilẽ, reſtante hoc Dauid, qui vt ſua in Deum religio memorabilis apud Deum eſſet, propriam interponit manſue-

tudinẽ, quæ minus quid est quàm mititas, dicẽs, Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius: Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob: Si introiero in tabernaculũ domus meæ &c. donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob &c. votum siquidem & iuramentũ de inueniẽdo tam solicitè locũ Domino, quod fecerat mansuetudine interposita, memorabile apud Deũ proponit. Vnde multò magis acceptabilis foret, si mititas fuisset allegata. In secũdaria verò materia (hoc est in moribus) superat mitis modestũ & affabilem: dum sicut in animo, ita & in suis moribus exterioribus placida suauitate omnib? se exhibet, & sicut fruct? arborũ mitis ad se allicit. Quocirca totaliter (hoc est in vtraque materia) mites meritò beati sunt vtpote suorum morũ intus & extra possessores.

ET iure assignatur eis pro præmio possessio terræ: vt qui in hac vita iura sua prosequi noluerunt ad superandos occupatores, fiãt possessores terræ non instabilis aeris, aut fluentis aquæ bonorum temporalium, sed solidæ ac firmæ terræ viuentium.

CIrca tertiam beatitudinẽ, Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: occurrit statim quæstio, cur lugere sine bonificãte aliquo positũ est inter beatitudines, quum lugere non sit de genere bonorum, sed computetur potius inter mala: quũ tristitia sit mala naturæ (iuxta illud Eccles. xxx. Multos occidit tristitia, & non est vtilitas in illa) & non sit bona moraliter: imò vt dicitur vij. Eth. Prudens non intendit tristari. Et augetur quæstio ex eo quòd paupertas posita in prima beatitudine, quia non erat de genere bonorum, posita est cum adiuncto bonificante, dicendo,

cendo, beati pauperes ſpiritu, & non abſolutè beati pauperes. hic autem ſine adiuncto boniſicante dicitur, beati qui lugent.

Occurrit quoq; quæſtio altera, cur inter beatitudines annumerat? eſt luctus, & nõ gaudiũ. In nulla enim harum beatitudinũ dicitur, beati qui gaudent: quũ tamẽ gaudiũ magis pertineat ad regnũ Dei quàm luctus. ſcriptũ eſt enim, Regnum Dei eſt iuſtitia, pax, gaudium in ſpiritu ſancto.

AD primam quæſtionem reſpõdetur de triſtitia poſſe loqui dupliciter: vel abſolutè, vel ex ſuppoſitione præſentium malorum. Et abſolutè quidem neque eſt bona naturaliter, neque moraliter, quoniam & nocet naturæ (vtpote inquietudo eius) & nullam habet rationẽ moralis boni: & ſic à prudentibus refugitur. Suppoſitis autem præſentibus malis triſtitia bona eſt: vtpote conſequens & ad naturaliter & ad moraliter bonos actus. ponit enim triſtitia præſuppoſiti præſentis mali in parte cognoſcitiua ſenſationẽ ſeu perceptionẽ, in parte verò appetitiua refutationẽ. Et ambo bona eſſe ex eo patet, quòd malè diſpoſitus eſt qui præſentia mala aut non percipit, aut non refutat: vtpote inſenſibilis ſeu ſtupidus ſi non percipit, & corruptus ſi non refutat: ex his enim duobus bonis fit triſtitia. Et quia in dubium non vertitur, ſed conſtat mala eſſe in hac vita, ideo triſtitia ſi alias habet circunſtantias, inter bona computari poteſt in ſtatu præſentis vitæ. Nec eſt poſita à Domino inter beatitudines ſine aliquo boniſicante: ſed boniſicatio eius ex parte materiæ ſignificata eſt ex hoc ipſo quod dictum eſt: Beati qui lugent, non hoc vel illud, ſed qui lugent abſolutè. Ex hoc enim ſignificãtur qui lugent non ob

malum ſecundum quid (quale eſt omne malum temporale)ſed ob malum abſolutè: quod ſolum eſt id quod eſt contrarium abſolutè bono, quod eſt vita æterna : ita quòd dicendo, beati qui lugent,dixit, Beati qui lugent ob mala præſentia contraria vitæ æternæ. & ſic bonificauit luctum ex parte materiæ. Ruſus bonificatus eſt luctus ex parte agentis,ſeu lugentis,ex hoc ipſo quòd ſignificatus eſt per modũ actionis, proculdubio humanæ ac per hoc volũtariæ.ex hoc ipſo enim quòd ponitur non quaſi illata paſsio,ſed quaſi aſſumpta volũtariè actio,ad ordinem moralium & meritoriorũ actuum trãsfertur. lugere ſiquidẽ non eſt tam triſtitia quàm triſtitiæ effectus,ſicu flere. Vnde & lugere dicũtur tam viri quàm mulieres, quãdiu lugubres ſe exhibent ob mortem charorum , vel aliquid huiuſmodi. & Dominus ad Samuelem primi Reg. xvj. ait: Vſquequo tu luges Saul,quum ego abiecerim eum? tanquàm in poteſtate Samuelis eſſet lugere. eſt igitur actio quædam. Et ſi his iũxeris quòd lugere eſt ſecundum ſe triſte & amarum quid,reſultabit hinc quòd lugere importat voluntariam actionem triſtem ſeu amaram,ac per hoc vt medicinalem actionem aſſumptam. Voluntas ſiquidẽ recta non aſſumit huiuſmodi amara niſi ſicut medicus vtitur medicinis:quoniam ex ſe non habent rationem appetibilis,ſed propter aliud. Vnde lugere ex hoc ipſo quòd ſignificatur vt triſtis actio voluntaria ſeu humana,bonificatũ eſt eſt menſura rectæ rationis ac volũtatis. Et dicẽdo,beati qui lugent,ſignificati ſunt qui officioſè lugent. & ex integro ſignificationem adunãdo,quum dicitur, beati qui lugent,ſignificantur beati qui officioſè lugent ob præſentia mala contraria vitæ æternæ.

næ. Et propterea non opus fuit aliquod adiunctum bonificãs explicitè apponere, ſicut in prima beatitudine appoſitum eſt. Paupertas enim non habet rationem actionis, ſed ſignificatur vt defectus: & propterea indiguit adiuncto bonificante. Secus autem eſt de luctu ſignificato abſolutè per modũ actionis humanæ, vt declaratũ eſt.

AD ſecundam verò quæſtionem dicitur quòd quia beatitudines perfectiones ſummæ ponuntur, & gaudium præſentis vitæ inchoationis magis quàm perfectionis rationem habet (quoniam exiguum quoddam initium eſt æterni gaudij: vtpote carens præſentia boni æterni de quo eſt) ideo inter beatitudines non eſt computatum ſecũdũ ſeipſum. Sed nec omnino prætermiſſum eſt: quoniã poſitum eſt in ſuis radicibus in ſexta & ſeptima beatitudine: quoniam munditia cordis iuge cõuiuium eſt, & pax gaudium magnum parit. Explicauit nihilominus Dominus in nona beatitudine gaudium, non vt ipſam beatitudinem, ſed vt annexum, dicens, Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra &c. Luctus autem meritò inter beatitudines locatus eſt: quoniam maximam ponit perfectionem in viatoribus inter tot & tanta mala præſentis peregrinationis conſtitutis. Quòd ſi non percipis, circumſpice præſentis mala à vita æterna abducentia (puta quòd quamdiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino & à patria cœleſti, quòd caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, quòd tot mala peccatorum propriorum & alienorum continuè emergunt, quòd creaturæ factæ ſunt in odium & in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium, quòd cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ no-

ſtræ, & alia huiuſmodi) & videbis quàm inſenſati ſumus, qui hæc præſentia nobis mala non ſentimus. & ſi percipimus, quòd alieni à ſpirituali natura & vita ſumus, ſi non diſplicent: & ſi diſplicere videntur, ſi non propterea triſtamur ſeu lugemus, ſed pertranſimus quaſi noſtra non interſit, quaſi in ſomnis huiuſmodi mala videamus, quaſi non verè diſpliceant. Et inde poteritis ſuſpicere in celſam illorum perfectionem qui hæc ſentientes & abominantes (vtpote habentes pro conſuetudine exercitatos ſenſus ad diſcretionem boni & mali lugent, aut cum Dauid, Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. aut cum Paulo, Infelix ego homo, quis me liberabit de carcere mortis huius? aut cum Ezechia, Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. aut cum propheta, Vidi præuaricantes, & tabeſcebam: quia eloquia tua non cuſtodierunt, & ſimilibus. Et ſic videbis quàm neceſſarium fuerit in catalogo beatorum in hac vita adſcribere etiam beatos qui lugent. Et meritò: quum enim delectabilia mundi huius plurimum à virtute abducant, multæque ſint propterea bonæ animi diſpoſitiones ſeu virtutes poſitæ circa delectationes & triſtitias (vt continentia, abſtinentia, ſobrietas, temperantia, & pœnitentia) longè excellentior perfectio lugentium inuenitur: qui non ſolum à delectationibus ſe alienant, ſed ad contraria ſe erexerunt, aſſumendo voluntarium luctum: ſortiti à cœleſti patre in hac peregrinatione irriguum inferius, & irriguum ſuperius, non vano aut ſterili luctui vacantes, ſed ſeminantes in lachrymis: hoc eſt ſementinam virtutem lachrymis luctus tribuentes in vitam æternam fructificantem.

Sub

Sub hac beatitudine comprehenduntur qui in hac vita statum voluntarij luctus sumũt pro cœlesti patria: vt sunt religiosi, & aliæ personæ abrenuntiantes delicijs & delectationibus carnis ac mundi: & Dei seruitio in puritate se mancipantes in veritate: quibus præmium suapte natura debitũ reseruatur: quòniã ipsi consolabuntur in cœlesti patria Hæc de tertia beatitudine.

CIrca quartam beatitudinem, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, dubium statim occurrit, an iustitia in proposito sumatur generaliter pro rectitudine seu bonitate qua recti seu boni dicimur: iuxta quod scriptum est, Iustus ex fide viuit. Vel specialiter vt specialis virtus est, reddens vnicuique quod suum est, de qua scribitur, Diligite iustitiam qui iudicatis terram. Vtrinque enim ambiguitatis ratio est. Nam si sumitur generaliter iustitia, sequetur quòd beatitudo hæc communis est reliquis beatitudinibus: quia quælibet alia beatitudo aliquam specialem bonitatẽ seu rectitudinem ponit. & sic reliquæ beatitudines comprehenderẽtur sub ista tanquam species sub genere, quod est absurdum. si autem sumitur iustitia specialiter, sequitur primò quòd ad hanc beatitudinem ponatur spectare desiderium punitionis malorum: puta quòd homicida occidatur: quòd latro suspendatur &c. quoniam punitiones huiusmodi iustitiæ sunt. Sequitur secundò ad hanc beatitudinem spectare desiderium punitionis propriæ: hoc est quòd ipsemet puniatur iuxta propria demerita: quoniam hoc iustitia est. Vtrunque autem horum apparet inconueniens. Et primum quidem repugnat secundæ beatitudini: qua mites non solum elon-

gant se à punitionibus, sed puniendis vtiles se exhibent. Secundũ autem contrariatur cõmuni viatorum desiderio: in quorũ persona Prophe ta dicit: Non intres in iudiciũ cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Qui enim hoc petit, proculdubio desiderat se non subijci iudicio punitiuo.

AD hanc dubitationem dicitur quòd vtroque modo intelligi potest hoc in loco iustitia. Et si intelligitur iustitia specialis, quæ reddit vnicuiq; quod suum est: sistẽdum est in hoc quòd est sermo de iustitia absolutè, & non de iustitia tali (puta punitiua seu vindicatiua) & similiter est sermo de iustitia absolutè, & non de iustitia in hoc. Iustitia autem absolutè, bonum iustitiæ importat: ac per hoc ad beatitudinẽ hanc directè spectat desiderare iustitiam absolutè, hoc est bonum iustitiæ. ex cõsequenti autẽ seu in casu necessitatis ad eandẽ spectat nõ refugere iustitiam talem: & similiter non refugere iustitiã in hoc. Et hinc soluuntur obiectiones. Vtraque nanque obiectio desiderio iustitiæ punitiuæ soluitur per hoc quòd nõ est hîc sermo de iustitia tali, sed de iustitia. Huius cõtrarium nõ petit peccator dum refugit iudiciũ: quoniam fugiendo vnũ modum iustitiæ, petit alium iustitiæ modum. Fugit enim iudicari secundũ propria merita, appetendo iudicari secundũ merita CHRISTI, iuxta verbum Pauli ad Philip. iij. Vt inueniar habens iustitiam quæ est ex fide IESV Christi. Vnde & ibidem Propheta petit, Exaudi me in tua iustitia. manifestans per hoc, appetere se iustitiam Dei: fugere autem iustitiam propriã. Si autem intelligitur iustitia generaliter pro bonitate seu rectitudine, optimè quadrat: nec sequitur aliquod

quod absurdum. Tum quia aliæ beatitudines nō attendunt ad formalem rationem generalis iustitiæ, sed ad quasdam rationes speciales: vt patet discurrendo per singulas. Et propterea formaliter loquendo non se habent aliæ beatitudines ad istam vt species ad genus. Tum quia beatitudo ista attenditur penes perfectionem humani desiderij: quod in nulla alia beatitudine attenditur: vt patet discurrendo per singulas. Consurgit siquidem beatitudo hæc ex inopia bonorum seu bonitatis inuētæ in præsenti vita, sicut præcedens beatitudo (scilicet beati qui lugent) consurgit ex copia malorum præsentis vitæ: ita quòd sicut ibi ex abundantia malorum quæ in hac peregrinatione inueniuntur, perfecti lugent: sic ex inopia bonitatis inuentæ in hoc exilio, perfecti esuriunt & sitiunt bonitatem. Et propterea magis consonat literali sensui sumere iustitiam generaliter quàm specialiter. Est autem desiderium hoc non appellatum desiderium, sed fames & sitis, multiplici ratione. Tum vt ostendatur vehementia desiderij. Tam enim fames quàm sitis vehementem appetitum importat. Tum vt ostendatur quasi naturalitas, quemadmodum tam fames quàm sitis ex natura prouenit: ita desiderium vehemens iustitiæ vt naturale inest perfectis secundū naturā spiritalem, secundum quam ex Deo nati sunt: iuxta illud, Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Tum ad ostendendam qualitatem indigentiæ, quòd scilicet perfecti desiderant iustitiam seu bonitatem tanquàm cibum & potum, quo indigent esurientes & sitientes. Tum ad ostendendam integritatem desiderij, & ex parte desiderantis: quia scilicet vtrunq; desiderium habet famis &

sitis, hoc est animæ & carnis: iuxta illud, Sitiuit in te anima mea: quàm multipliciter & tibi caro mea. Et ex parte iustitiæ desideratæ vt cõpleti alimenti respondentis fami & siti: quoniam perfecti desiderant bonitatem omnifariam.

Locata est igitur in hac beatitudine perfectio eorum qui esuriunt & sitiunt iustitiã (hoc est iustitiæ bonum) vsqueadeò inueniri, & sic vnicuique dari quod suum est, quoadusq; ad hoc perueniatur, vt Deus sit omnia in omnibus. in hoc enim cõsummabitur omnis iustitia, quum Deus erit in omnibus ratio omniũ, & esuriũt ac sitiũt iustitiam (hoc est rectitudinẽ bonitatemq;) inueniri ac augeri quoadusq; Deus sit omnia in omnibus: in hoc enim consistit consummatio omnis bonitatis. Et meritò perfecti semper in hac vita esurire & sitire reputantur iustitiam: quia tanta est hîc penuria iustitiæ, vt semper esurientes & sitientes relinquat: iuxta illud, Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Quò fit vt horum perfectio iustos superet. sunt enim plus quàm iusti, quibus non sufficit quòd ipsi sint iusti, sed esuriunt & sitiunt iustitiam magnificari. Et sunt plus quàm boni: quibus non sufficit quòd ipsi sint boni, sed ipsi esuriũt & sitiunt bonitatem multiplicari, magnificari &c.

Istis meritò saturitas quæ in hac vita haberi nequit, in cœlesti patria in præmium reseruatur: iuxta illud, Satiabor quum apparuerit gloria tua. Hæc de quarta beatitudine.

CIrca quintam beatitudinem, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, recole misericordiam virtutem esse subleuatiuam alienæ miseriæ, hoc est defectus. Misericordia enim directè respicit defectũ vt tollendũ.

Et

Et possunt in ea considerari tria: scilicet operatio exterior, qua subuenit indigenti: affectus interior quo appetit subuenire iudigentibus: & interior vtriusq; ratio, qua alienas miserias proprias facit: ideo & appetit tollere illas, & tollit illas si potest. Vnde misericors excedit tam beneficum quàm munificũ, cõmunicat siquidẽ cum eis in primis duobus, hoc est in actu benefaciendi, & in appetitu benefaciendi: sed superior est eis in modo, dum misericors intantum afficitur vt alienos defectus proprios faciat, dum sic ad eos tollendos se habet & afficitur, quasi proprij essent. Est autẽ tantæ eminentiæ misericordiæ virtus, vt sola inter virtutes Deo propria dicatur: iuxta illud, Deus cui proprium est misereri. Et omnibus superemineat: iuxta illud Psal. Miserationes eius super omnia opera eius. Solus siquidem Deus naturaliter est miseriæ seu defectus expers: ac per hoc solus potest in miseriam absolutè, quæ omnem comprehendit. Et miseratio eius, quæ misericordiæ actio formalis est, quasi supernatans in singulis & omnibus operibus Dei inuenitur, non solum materialiter tollendo aliquem defectum, sed formaliter: quia ex intentione Deus ad hoc tendit vt tollat in singulis & omnibus aliquem defectum. Propter quod meritò appropriatur ei nõ solum quòd est misericors, sed quòd est miserator, iuxta illud, Misericors & miserator Dominus. Quò fit vt misericordes tanquàm diuinam proprietatem participantes, inter beatos computentur. Et verè ad summum perfectionis apicem in materia miseriarum tollendarum ascenderunt, qui misericordes sunt simpliciter & absolutè: hoc est, qui non solum iunctis sanguine, amicitia,

ciui

ciuilitate, & cæteris huiusmodi necessitudinibus: sed miseris quicunq; sint illi, misericordes se exhibent, affectu quidem indefessè, opere autem iuxta vires: vt semper sint misericordes: miseratores autem quum possunt, aut occasio miserationis se offert.

Et licet proprias misericordiæ miserias misericordia humana non tradat obliuioni, iuxta illud, Miserere animæ tuæ placens Deo. perfectio tamen misericordiæ ad alienas tollēdas miserias tendit, proprias eodem meritorio misericordiæ actu tollendas reddens.

Et propterea reponitur misericordibus in prȩmium quòd ipsi misericordiam in cœlo consequentur: hoc est à miserijs omnibus leuabuntur. Iure enim ab omni debet exui miseria in patria, qui in hac peregrinatione aliorum miserias quasi suas curauit. Hæc de quinta beatitudine.

CIrca sextã beatitudinẽ, Beati mundo corde: quoniã ipsi Deum videbũt. duplex quæstio occurrit. Prima est, cur beatitudo hæc nõ significat aliquã perfectionem. Munditia enim nullam perfectionẽ significat: sed imperfectionẽ immũditiæ excludit: sicut non peccare, nullã perfectionẽ sonat: sed imperfectionem peccati excludit. Omnes siquidè beatitudines non solum perfectionem, sed perfectionem summam ponere debent.

Secunda est, cur beatitudo hæc nullam operationem sonat: quum omnis beatitudo secundum operationẽ aliquam attendatur. Nam neq; munditia, neq; cor operationem significat: vt patet.

AD primam quæstionẽ dicitur quòd licet munditia simpliciter & absolutè non significet perfectionem, munditia tamen tale subiectũ afficiens magnam ponit perfectionem; sicut nõ peccare

care absolutè, nullam perfectionē ponit: sed non peccare positum in vtente libero arbitrio, magnam perfectionem ponit. maxima siquidē perfectio est quòd homo vtatur libero arbitrio sine peccato. Ita in proposito licet munditia sonet negationem immunditiæ. ac per hoc nullā perfectionem significet: munditia tamen afficiens cor, magnam perfectionem ponit: quam Dauid petebat: Cor mundum, inquit, crea in me Deus.

AD secundam verò respondetur dupliciter. Primò, quòd operatio potest significari dupliciter. Vel in seipsa: vt dictum est, Beati qui lugent. Vel in sua radice: & sic significatur in proposito viuere in suo naturali ac coæuo principio, quod est cor, hoc est interior pars nostra: iuxta illud Matth. xv. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta &c. Et dicuntur beati mundo corde, habentes principiū operum suorū mundū: quoniam non potest arbor bona malos fructus facere. Secundò dicitur quòd cor pro quanto est naturale principiū semper in actu, non solum significat illam rem quæ est principiū, sed etiam operationem: quia significat principiū vitæ in actu: sicut ædificās significat eum qui actu ædificat. Et secundū hoc beatitudo ista significat operationem in seipsa: quoniam significat beatos qui mundè viuūt ab interno principio. Totaliter siquidem mundam vitam ducere non permittit peregrinatio præsens: quoniam nonnullo saltem puluere gressus humani inquinantur. Et propterea Dominus mundam vitā in hoc mundo ex parte cordis designauit, dicens, Beati mūdo corde. Et quamuis hæc vita ex mūdo corde non sit totaliter (vt dictum est) munda, tantæ tamen excellentiæ est, vt

reddat

reddat homines plus quàm perfectos. Si enim apud Iacobum apostolum, si quis in verbo non offendit, perfectus est: quãto plus quàm perfectus est qui corde non offendit? Erudierat tam bene Iob filios suos, vt securus de mundis eorũ operibus, ac de mũda lingua, veritus ne fortè peccassent in cordibus suis: offerebat holocausta per singulos. Iob j. Et Prouerb. xx. Sapiens clamat: Quis potest dicere, Mũdum est cor meum, purus sum à peccato? Meritò ergo beati sunt mundo corde, qui summam munditiam obtinentes, vitam mundam ex corde mundo ducunt.

IStis promittitur in præmium videre Deũ, duplici ratione. Primò vt præsenti vitæ respondeat vita æterna: tanquàm qui hîc talem vitam duxerit, scilicet mundã, mereatur transire ad vitam æternam, quæ cõsistit in visione Dei: iuxta illud, Hæc est vita æterna, vt cognoscãt te verũ Deum. Secũdò, vt discamus præparationẽ humanæ mentis ad videndũ Deum, nõ cõsistere in perficiendo partẽ speculatiuam (vt philosophi tradunt, ponentes sapientes maximè appropinquare Deo) sed in perfectione partis affectiuæ quæ cor vocatur: ita quòd ex hoc quòd nõ doctis & sapientibus, sed mũdis corde promittitur visio Dei: & scimus viã, præparationẽ ac meritum perueniendi ad videndum Deum, consistere non in scientia & sapientia, sed in carnis munditia. scimus consequenter quòd communis est præparatio viaq; ista omnibus hominibus quãtumcunque idiotis & ineruditis: quoniam munditiã cordis minima vetula habere potest. Hæc de sexta beatitudine.

CIrca septimam beatitudinem, (Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabũtur) vide primò

gradus

gradus perfectorũ secũdum pacem. In primo siquidem gradu sunt qui in seipsis pacẽ habent, hoc est tranquillitatẽ ordinis: ita vt lex carnis non repugnet legi mẽtis: sed ita spiritus imperat carni, vt totus homo inhæreat cum tranquillitate Deo. De istis scriptũ est: Pax multa diligentibus legẽ tuam. In secũdo verò gradu sunt, qui etiã cum omnibus hominibus pacẽ habent, iuxta Apostoli mandatũ: Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacẽ habentes.

In supremo autẽ gradu sunt, quibus nõ sufficit quòd in seipsis & cum alijs sint pacati: sed student ad faciendã pacem: vnde & pacifici vocantur. Faciunt autẽ pacem nõ hanc vel illam, neq; omnẽ pacẽ (quũ scriptũ sit, Non veni pacẽ mittere in terrã, sed gladiũ) sed faciunt pacẽ absolutè, hoc est cœlestem seu diuinã: quam Saluator sibi propriã dixit, Pacem, inquit, meã do vobis. quæ inimicitiam tollit inter hominẽ & Deum: quæ cunctis in homine repugnantibus tranquillitati cœlesti contrariatur. Et rursus faciunt pacem non inter hos & illos, sed simpliciter inter omnes, etiã pacis inimicos: iuxta illud, Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Et propterea dicitur absolutè, Beati pacifici.

Hanc perfectionis beatitudinẽ insinuauit Saluator in Apostolis, mandans illis vt pacem secum ferãt in quamcunque domum intrantes. & dicant non solo verbo, sed studio efficiẽdi Deo cooperãte, Pax huic domui. Vnde & Matth. x. dicitur: Et siquidem domus illa fuerit digna, veniet pax vestra super eam.

Quantæ autem eminentiæ sit pacificatio, ex eo perpendi potest, quòd pax tranquillitas ordinis est: ac per hoc pacẽ facere, est trãquillitatem ordi

ordinis efficere. Et si his adiungas, quòd ordo summum bonũ intrinsecum vniuersi est: consequens erit vt pacem facere sit efficere perfectionem summi boni, ac per hoc supremũ locum teneat inter opera gubernationis. Assimilat igitur maximè Deo hominẽ pacificatio: & in excelso valde loco constituit. Vnde & in Psal. altitudini montium spiritalium hæc perfectio tribuitur. Suscipiant, inquit, montes pacem populo. Et meritò in supremo actionum beatarũ in haç vita hîc dicitur, Beati pacifici.

ET his iure reseruatur in præmium, quoniam filij Dei vocabuntur. Similimi quippe Deo eius filij sunt: ytpote ex Deo nati, & diuinæ sancti consortes naturæ. Signanter autem dicit, vocabuntur: & nõ dicit, erunt. Tum quia in præsenti iam sunt filij Dei: & non expectant quòd fiant, sed quòd manifestentur: iuxta illud j. Ioan. iij. Et nunc sumus filij Dei, & nondum apparuit quid erimus. Dicendo ergo, quoniam filij Dei vocabũtur, promittitur quòd manifestabuntur filij Dei. Tum quia inter homines multi sunt filij, qui non tractantur vt filij, sed quasi extranei aut serui aut mercenarij habentur. Et propterea pacificis qui iam filij Dei sunt prõmittitur quòd habendi sunt in cœlesti patria vt filij, dum promittitur quòd filij Dei vocabuntur: quandoquidem vocatio consona est ad id quod vocatur. Hæc de septima beatitudine.

CIrca octauam autem beatitudinem, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. duplex statim occurrit quæstio. Prima, an sit sermo de ijs qui quomodolibet patiuntur, id est opprimuntur, vexantur, affliguntur &c. propter iustitiam.

an de

an de ijs qui voluntariè patiuntur propter iuſtitiam. Nam ſi primo modo intelligeretur: ſequeretur hoc abſurdum, ꝙ quicunq; quantumcunq; inuiti & impatienter afflígerentur propter iuſtitiam, eſſent beati. Si verò ſecundo modo intelligitur: ſequeretur ꝙ aliquis pateretur iniuſtũ volens: quod à philoſophis reputatur impoſsibile. Et patet ſequela: quia ex eo quòd patitur propter iuſtitiam, patitur iniuſtũ: & ex eo quòd volũtariè, patitur volens. Altera quæſtio eſt, quomodo ſumitur hîc iuſtitia: in ſua ſcilicet communitate, an reſtringatur. Nam ſi iuſtitia ſecundum ſuam communitatem ſumitur, nõ relinquitur locus nouæ beatitudini: quoniam ſub iuſtitia comprehenditur etiam illa. Si verò reſtringitur, oportet aut voluntariè reſtringere, aut rationem reſtrictionis aſsignare: quoniam in litera nulla reſtrictionis nota ponitur.

AD primam quæſtionem dicitur, quòd proculdubio hic eſt ſermo de pati nõ ſimpliciter & abſolutè (quoniam pati nullum bonum eſt) ſed de pati virtuoſè, hoc eſt patienter & ex charitate: quod eſt pati voluntariè, ſaltem faciẽdo de neceſsitate virtutem. Nec ex hoc ſequitur quòd aliquis patiatur iniuſtum volẽs ipſum iniuſtum, quamuis patiatur volens ipſum pati. Vir enim bonus non vult iniuſtum quod ſibi infertur, ſed vult illatum ſibi ſuſtinere.

AD ſecundam quęſtionem dicitur, quòd hîc eſt ſermo de iuſtitia generaliter quidem ſumpta, vt tamen diſtinguitur à myſterio verbi incarnati. Et quòd ratio reſtringendi iuſtitiam, imò reſtrictiuum ipſum habetur ex litera ex hoc ipſo ꝙ apponitur nona beatitudo circa myſterium verbi incarnati: ipſa nanq; diſtinctio harũ dua-

rum beatitudinum cogit fateri earum diuersitatem, ac per hoc iustitiam in octaua sumi pro iustitia absolutè secluso incarnationis mysterio. Et videtur directè iustitia cõsiderari absolutè, in ordine ad Deum etiam si mysterium incarnationis non esset. Quocirca illi in octaua locãtur beatitudine, qui tantæ perfectionis sunt: vt pro quocunq; virtutis actu eligant tolerare quascunque eis illatas passiones: siue ille actus virtutis sit secundum legem diuinam, siue naturalem, siue canonicam &c. iuxta hãc enim beatitudinem Machabæi vt non comederent carnes porcinas contra diuinam legem, Ioannes Baptista ne omitteret correctionem Herodis, Thomas Canthuarien sis pro libertate Ecclesiastica, beati fuerunt: nullus enim horũ passus est ꝓpter CHRISTVM propriè loquẽdo, sed propter iustitiam, in fide tamen CHRISTI: sine qua nunquam fuit salus. Et quia contingit dupliciter pati persecutionem propter iustitiam (vel ita ꝙ & passio sit propter iustitiã, & persecutio tendat cõtra iustitiã: vt in exemplis allatis inuenitur. vel ꝙ passio quidem sit propter iustitiã: persecutio autem non tendat cõtra iustitiam: quãuis materialiter sit iniusta: vt contingit ijs qui à superioribus credẽtibus iustè se facere affliguntur: vt de multis sanctis legitur inter religiosos versatis) scito textum principaliter de primo modo patientibus propter iustitiam ita intelligi, vt qui secũdo modo patiuntur propter iustitiã, non excludantur à numero beatorũ qui patiuntur persecutionẽ propter iustitiã.

IStis regnum cœlorũ iure datur: quoniã qui in hac vita amplexus est pati propter Deum, iustum est vt in futura vita sublimetur in agere: & qui hîc non renuit alijs subijci, sublimetur vt

alijs

alijs præſit : quæ in regno cœlorum includuntur. regnantes enim & præcellunt & imperant. Sed non caret quæſtione, cur in octaua hac beatitudine repetitur præmium primæ beatitudinis, & non eſt appoſitum octauum præmium? Ad quod reſpondetur, duplici ratione hoc factum eſſe. Primò, vt quia duo ordines beatitudinũ ponuntur (ſcilicet primus penes agere, & ſecũdus penes pati) factum eſt vt prima vtriuſq; ordinis velut baſis & fundamentum, reſpiceret præmium, quod inter præmia eſt velut baſis & fundamentum, ſcilicet regnum cœlorum. Secundò, vt neq; agens patienti, neq; patiens agenti præferatur, ſed confeſſores martyribus, & martyres confeſſoribus æquales in eſſentiali gaudio monſtrarentur.

CIrca nonam beatitudinem (Beati eſtis quum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſus vos, mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis) multa occurrunt quærenda. Primò, cur cæteris beatitudinibus deſcriptis in tertia perſona, hæc deſcribitur in ſecunda perſona, dicendo, beati eſtis. Secundo, cur multiplicentur in hac beatitudine tot vexationum genera: ſcilicet maledictionis, perſecutionis &c. Tertiò, cur huic beatitudini ſoli adiungitur, gaudete & exultate. Quartò, cur præmium huius beatitudinis ſolius deſcribitur ſub ratione mercedis. Quintò, cur in hac ſola beatitudine indeterminatè ponitur præmium. non enim determinatur aliquid certum pro præmio, ſicut in alijs beatitudinibus (puta regnum cœlorum, poſsidere terram &c.) ſed indeterminatè dicitur; merces veſtra copioſa eſt in cœlis.

AD euidentiam horum aduertendum est hanc nonam beatitudinem consistere in patiendo ob confessionem verbi incarnati. Singularissima siquidem tanti mysterij nouitas specialem habet difficultatem in nostra cõfessione: & propterea specialis perfectio posita est in perssistendo patienter & tolerando varias tribulationes ob huiusmodi confessionem. Quocirca beatitudo hæc licet conueniat cum præcedente in hoc quòd vtraq; consistit in pati propter bonum: differunt tamen in hoc, quòd illa habet causam quasi naturalem patienter tolerãdi iniurias (quoniam virtuosorum est imperturbatum perssistere, & immobilem in iniurijs) ista verò causam habet omnino supernaturalem: quandoquidem fateri vnum & eundem, hominem Deumq; verum esse &c. omnem excedit facultatẽ intellectus: & propterea beatitudo hæc tã dissimiliter ab alijs descripta est: nouiter siquidem inserta generi humano tam supernaturalis perfectio, decuit vt multis quasi priuilegijs decoraretur. Vnde ad primum quæsitum dicitur, ꝙ ideo in secũda persona descripta est hæc beatitudo, quia noua perfectio hæc est inchoans in ipsis CHRISTI discipulis, reliquæ autẽ tanꝯ communes & antiquæ quæ prius erãt, in tertia persona descriptæ sunt.

Ad secundum verò quæsitũ dicitur, ꝙ multiplicatio vexationum ad hoc spectat, ꝙ CHRISTVS in Christianis & corde & ore & opere refutandus esset: habent enim CHRISTI persecutores in corde CHRISTVM odio, & ore blasphemant, & tormẽtis persequuntur. Non sic autem cõtingit in octaua beatitudine: quoniam etsi propter iustitiam aliqui vexantur, iustitia tamen communiter & corde amatur, & ore laudatur; &

tur: & illimet qui iniustè vexati sunt, laudabiliter recẽsentur inter virtuosos. nos autẽ prædicantes CHRISTVM crucifixum, quia Iudæis est scãdalum, & gentibus stultitia: & apud sapientes huius mũdi superstitio, omne genus mali insequitur, dum & odio habemur (quod secũdum antiquam translationẽ hæc litera primo loco ponit, dicens: Beati estis quum oderint vos. vbi nunc legitur, quum maledixerint vobis) & facto persequuntur vos, & verbo dicũt omne malum aduersus vos propter CHRISTVM. Omne igitur genus mali explicatur in hac beatitudine: quoniam totum imminet patiẽdum ob CHRISTI confessionem, quod cõmuniter in alijs patiendi causis nõ est. Et scito q̃ contextui & materiæ cõsonat antiqua translatio, scilicet, quum vos oderint homines. Tum quia sic explicatur omnis gradus persecutionis, scilicet corde, ore, & opere. Tum quia sic non bis ponitur persecutio oris: vt in noua fit translatione: dum primò dicitur, maledixerint, & secundò, dixerint omne malum. vnde corrupta videtur hæc translatio. Ad tertium quæsitum dicitur, quòd huic beatitudini annectitur gaudium & exultatio duplici ratione. Primò, vt quemadmodum explicitè commemorantur in ea tot mala, ita accumulentur bona. iuxta illud: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Secundò, ad monstrandum abundantiam gratiæ spiritussancti, quæ cõferenda erat sanctis martyribus noui testamẽti: iuxta illud Ioan. vij. Nondum erat spiritus datus, quia IESVS nondum erat glorificatus. Quia ergo confessores CHRISTI nõ solùm virtutem patiẽdi, sed gaudẽdi &

exultãdi in tribulationibus accepturi erãt, ideo perfectis patiẽtibus propter CHRISTVM dicitur, gaudete & exultate. Quod impleſſe Apoſtolos ex eo patet, quòd ibant gaudentes à conſpectu cõcilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati. Impleſſe quoq; ſanctos martyres ex geſtis eorum patet. vnde Laurentius inquit, Gaudeo planè quia hoſtia CHRISTI effici merui &c. Ad quartũ quæſitum dicitur, quòd ratio mercedis ad excellentiam pertinet patiẽtiũ propter CHRISTVM: quia etſi non ſunt condignę ſecundum ſe paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, ex eo tamen quòd CHRISTI confeſſores CHRISTI membra ſunt, & vt caput ſuum tueantur, libenter patiuntur: ius ſibi vendicant futuræ gloriæ tanquam mercedis debitæ pro ſuis laboribus. vnde & Paulus dicebat, Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. In reliquis itaq; beatitudinibus nulla facta eſt mentio de mercede, ſed hoc vltimæ beatitudini reſeruatum eſt: quia in alijs nulla facta eſt mentio de de CHRISTO, cui in ſuis membris iure debetur æterna gloria: ſed in hac ſola. Ad quintum quæſitũ dicitur, ꝙ indeterminatio mercedis ad immẽſitatem ſpectat præmij. ex hoc enim ꝙ indeterminatè relinquitur copioſa merces, infinitum inſinuatur præmiũ: & hoc ad cõmendationem huius beatitudinis præ cæteris ſpectat. Et meritò: quoniam ſi iuxta teſtimoniũ Saluatoris, maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis: nemo maiorẽ habet perfectionẽ, ꝙ qui pro CHRISTO

amico ſuo animã ſuã ponit: quod ad hãc ſpectare beatitudinẽ cõſtat. Poſtquàm igitur octo beatorum genera in hac vita Saluator deſcripſerat, ad ſuos dirigens ſermonẽ diſcipulos, nouũ beatitudinis genus in ipſis inchoandũ hac nona beatitudine deſcripſit: ſimulq; monſtrauit ad felicitatem eſſe ipſos euectos, eo ipſo q̃ ad cognitionem & confeſsionẽ ipſius CHRISTI aſciti ſunt, vt penetrarẽt beatos ſe eſſe in vtraq; ſorte, ſcilicet & quum bona à CHRISTO acciperent, & quum mala propter CHRISTVM paterẽtur.

Quantæ autẽ excellentiæ ſit beatitudo hæc, non ſolùm ex allato Domini teſtimonio patet, ſed ex eo quòd principes Chriſtianæ religionis (ſancti martyres ſcilicet) in ea locati ſunt.

SVpereſt nunc vt ad tres reſeruatas in fine huius tractatus quæſtiones ſoluendas reſpõdeatur. Ad primam igitur in principio huius tractatus propoſitam quinto loco (an ſcilicet beatitudines iſtæ gradatim enumerentur) reſpondetur affirmatiuè: ita quòd gradatim enumerentur & ſecundum merita, & ſecundum præmia: ſemper nanq; aſcenditur vtrobiq;.

Et quidẽ q̃ merita ſemper aſcẽdãt, declaratur ſummariè dupliciter. Primò, ex parte materialiũ. Nã ſupra exteriora bona quæ ſunt materia primæ beatitudinis, ſunt vindicabilia quæ ſunt materia ſecũdæ: & ſupra vindicabilia, delectabilia quæ ſunt materia tertiæ: & ſupra hæc ſunt debita cuilibet, quæ ſpectant ad quartã: & ſupra hæc gratuita, quæ ſunt quintæ: ſupra quæ eſt immũditia omnis, quã tollit ſexta: ſupra quam eſt perturbatio, quã tollit ſeptima: & ſuper hęc perſecutiones, quas ſuperat octaua: & ſupra omnes eſt omne perſecutionum genus contra CHRI-

STVM, quæ superant in nona. Secūdò, ex parte interioris dispositionis animi. Nam etsi bene dispositus est qui nouit seipsum, & externa bona despicit, iuxta primā beatitudinē: melius tamē dispositus est qui etiā quū despicitur & paruifit, vincit in bono malū. & hoc melior est, qui vndiq; se in miserijs circūspiciens, luget hanc peregrinationem. & hunc præstat cui proprium non sufficit bonū, sed cuiq; debitum sitit: huncq; excellit, qui non solùm debita cuiq; sed gratuita vt subleuentur appetit & efficit. qui autem ad vniuersam vitæ munditiam ascendit, altior est: & hunc superat, cui non sufficiunt munda, sed studet ad tranquillitatem ordinis efficiendam. super hos quoq; omnes meritò locatur qui propter hæc patitur, & vincit persecutiones: sed in supremo iure ponitur, qui incarnati verbi luce perfusus, pro illo omnia patiendo superat. Si verò ad præmia spectetur, primum præmium inuenitur, quòd beatorum est regnum cœlorum. sed quia nostrum potest esse aliquid quod non possidemus, secundò ponitur possessio eiusdem. & quia multa possidemus cum tristitia, tertiò ponitur consolatio. & quia cōsolati quandoque non vsq; ad satietatem consolamur, ideo quartò saturitas ponitur: ita quòd ponitur regnum cœlorum nostrum, possessum consolati vsque ad satietatem: & quoniam satiati regno defectui remanemus, quintò securitas à periculis omnium defectiuarum nostrarum conditionum per misericordiæ consecutionē ponitur. & quoniam parum est coregnare, nisi conuersatio cum rege habeatur: ideo sextò ponitur visio Dei. & quoniā videre Regem etiā seruitoribus cōceditur: dignitas filialis superadditur septimo loco, vt beati regnēt

conso.

consolati, satiati, securi, videntes Deum vt filij Dei. his autem præstat regnum cœlorũ duplici iure debitum, scilicet merito actionis, & merito passionis, quod octauo loco ponitur. & omnia demum excellit merces immensa, quæ ob sui infinitatẽ non specificatur, quæ nono loco ponitur.

AD duas reliquas quæstiones in præmio primæ beatitudinis propositas (scilicet cur in beatitudine prima & octaua ac nona proponitur præmium per verbum præsentis tẽporis, in alijs verò pẽr verbũ futurum: & rursus cur in illis tribus per verbũ substantiuũ, in alijs verò per verba adiectiua) respondetur ꝙ differẽtia præsentis & futuri temporis monstrat aliquid præmij esse prẽsens in hac vita, & aliquid in futura reseruari vita. Differentia autem verbi substãtiui & adiectiui monstrat differẽtiam inter substantiuum ius æternæ felicitatis, & ipsam æternam felicitatem in exequutione: ita ꝙ ex hoc ꝙ verbo substantiuo præsentis tẽporis (scilicet est) definitur præmiũ æternũ, significatur ꝙ in præsenti vita beati habent substantiuũ ius æterni prẽmij. Et verè sic est: quoniam (vt Ioannes testatur) iam sumus filij Dei: quòd si filij, & hæredes: vt Paulus inquit. Et quamuis quanto tẽpore hæres paruulus est, nihil differt à seruo: est tamen dominus omnium. Quia igitur in præsenti vita adhuc positorum beatorũ verè est regnum cœlorum: ideo præsentis temporis verbo substantiuo dicitur, Quoniã ipsorum est regnum cœlorum. Quia autem exequutio possessorij & fructus in alia seruãtur vita, ideo per verba futuri tẽporis adiectiua idem præmium describitur. Et quia substãtiuum ius æterni præmij vnum est & cõmune omnibus beatis, ideo in prima beatitudine vtriusq; ordi-

nis agentium, & in prima ordinis patientiũ) ponitur huiusmodi subſtantiuũ prẽsens: in reliquis autem ordinibus agentiũ multiplicitas fructuum qui in exequutione percipiuntur, explicatur.

Nona autem beatitudo multipliciter priuilegiata etiam hoc habet. Tum quia licet fecunda ſit in numero patientium, caput tamen cõſtituit nouum patiẽdi: quoniã ſicut verbũ incarnatum paſſum inſtaurat omnia, ita paſsio pro CHRISTO inſtauratiuum eſt paſsionum. & propterea tanquam prima habet verbum ſubſtantiuũ præſentis. Tum & melius, ad denotandũ q̃ ſola hæc beatitudo ex propria ratione habet præſentiam præmij cœleſtis ſtatim: nã cæteræ beatitudines nihil habent in ſe vnde ſtatim ponant beatos in cœleſti patria: quia non claudunt in ſe CHRISTVM mortuum, qui aperuit cœlos (vnde Ioannes Baptiſta & alij priores quamuis beati hîc, nõ tamẽ cœlos ſtatim ingreſsi ſunt) nona autem beatitudo CHRISTVM mortuum in ſeipſa continet. Propter quod in futuro Saluator ponit in illa vexationes, dicens, quum oderint, perſecuti fuerint, & dixerint omne malum: tanquam deſignans tempus poſt ſuam mortem ac reſurrectionem. & propterea ſola nona beatitudo ſtatim hinc transfert in cœlos ex propria ratione. Et ad hoc deſignandum priuilegium, propoſuit Saluator illius præmium per verbum ſubſtantiuum præſentis temporis: tanquam diceret, q̃ vos propter me patientes nõ expectaturi eſtis, ſed iam habetis mercedem copioſam ſtatim vt hinc migratis, præſentem. Et hæc de euangelicis beatitudinibus. In monaſterio ſancti Martini de ſacro monte Pannoniæ, dominica quinquageſimæ. Anno Domini M. D. XXIIII.

Quintum

QVINTVM IENTAculum: in quo quinque tractantur quæstiones.

OCCVRRVNT quintò tractandæ quinq; apud euangelium sententiæ. Prima habetur Matthæi xv. Munus quodcunque ex me est, tibi proderit. Secunda habetur ibidem: Omne quod in os intrat, in secessum emittitur. Tertia habetur Luc. xvj. Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: & qui iniquus est in modico, iniquus est & in maiori. Quarta habetur ibidē, Si Moysen & prophetas non audiunt, neq; siquis ex mortuis resurrexerit, credent. Quinta habetur Ioan. j. Quotquot autem receperūt eum, dedit eis potestatē filios Dei fieri.

CIrca Scribarū & Phariseorū sentētiam, qua sub specie religionis tollebāt pietatē, ambiguitas occurrit quid significat traditio hæc: Qui dixerit patri vel matri, munus quodcunq; ex me est, tibi proderit. Nam aliquod horū triū videtur significare. Aut quòd absolutè religio qua aliquid offertur deo, prēferēda est pietati qua honoramus parētes. Et in hoc sensu traditio ista irreprehēsibilis esset: quoniā sanctam contineret doctrinam, cuius oppositum Dominus testatur.

Aut quòd in articulo necessitatis iam constitutis parentibus, filij religionis prætextu vacarent muneribus offerendis Deo, omittendo pietatis officia debita parentibus. Et iuxta hunc sensum traditio hæc iniquam contineret doctrinam:

vt

vt patet. Sed ex euãgelico textu non videtur haberi hic ſenſus: quoniam nulla ſit ibi mentio de neceſsitatis articulo, in quo conſtituti præſuppo nantur parentes. non enim dicitur: ſi dixerit homo patri vel matri in neceſsitate conſtitutis: ſed abſolutè, ſi dixerit patri vel matri. Aut quòd deo iam licitè dicata voto à filijs, propter ſuperuenientem articulum neceſsitatis parentum, non eſſent in ſubſidium ſeu vſum parentum conuertenda. Et iuxta hunc ſenſum vſq; in hodiernum diem approbatur traditio iſta à multis doctoribus ſacris. Et emergit hinc literalis quæſtio: an de munere dicãdo Deo, an de munere per votum dicato Deo ſit ſermo, quum dicitur, Munus quodcunq; ex me &c. Magni ſiquidẽ refert vtro modo intelligaſ: Nam ſi de munere iam dicato Deo per votũ eſt ſermo, traditio Phariſęorum diuinam videtur habere traditionẽ pro fundamento. Si autem de offerendo munere eſt ſermo, ſimplex religio in quæſtionem venit.

AD euidentiam ſententiæ huius ſciendum eſt dupliciter exponi poſſe traditionem Scribarum & Phariſæorum. Primò, vt verba illa, munus quodcunq; &c. intelligantur vt excuſantia. ſecundò, vt intelligantur tanquàm obligantia. Et ſiquidem ſumãtur vt excuſantia, traditio iſta conſiſtit in duobus documentis. Primũ eſt, quòd filij vacarent diuinis oblationibus, non curando de ſubuentione parentum. Secundum eſt, quòd filij excuſarent ſe cum parentibus de huiuſmodi commiſsione & omiſsione his verbis, Munus quodcunque ex me eſt, tibi proderit. hoc eſt, non credatis me poſtponere curam veſtri: quoniam offerendo Deo, curam veſtri habeo: quoniam quod offero Deo, vobis proderit. Si verò verba

ba hæc vt obligantia intelligãtur, sensus pharisaicæ traditionis est, quòd si filius dixisset parentibus: totum quod est ex me, volo offerre Deo: ex tunc obligatus erat filius ad diuina Deo, ita vt non liceret ei quicquam facere pro parentibus. Et hunc sensum magis sonat textus euangelicus: quoniam Mar. vij. postquàm dictum est, Si dixerit homo patri aut matri corban, quod est donũ quodcunque ex me tibi profuerit: subiungitur: & vltrà non dimittitis eum quicquam facere patri aut matri. vbi apparet quòd postquàm filius dixerat illa verba patri aut matri, vetabatur filius facere quicquam patri aut matri: ac per hoc obligationẽ incurrerat ex verbis dictis patri aut matri. Et iuxta hunc sensum colligе quinque. Primò, obligationem filij ad diuina: quæ ex allatis Marci verbis habetur. Secundò, authoritatem qua habebatur ista obligatio. & hæc erat traditio scribarum & pharisæorum: vt in litera patet. Tertiò, modum, quo contrahebatur hæc obligatio. Et ex textu habetur quòd ex hoc ipso quòd filius dicebat hæc verba patri, consurgebat in filio hæc obligatio: sic docentibus scribis & pharisæis, si dixerit homo patri aut matri &c. Quartò, efficaciam huius obligationis, quòd erat adeò efficax vt redundaret in impietatem erga parentes. Et hoc expressè Dominus dixit. Quintò, materiam obligationis. Et hæc erat totum quod erat ex filio. Et hoc insinuat textus dicens, Et vltrà non finitis eum facere quicquam patri aut matri. vnde videtur quòd ista obligatio erat quædam mancipatio filij ad diuinum obsequium: & tam arctè exigebatur à scribis & pharisæis, vt nõ permitteretur filius facere quicquam patri aut matri.

tri. Vbi patet multipliciter erraſſe Scribas & Phariſæos. Primò, quòd vbi nulla erat obligatio, obligationem inducebant: non enim ex verbis ad patrem aut matrem oritur mancipatio ad diuina, ſed ex voto quod fit nõ homini ſed deo. Secundò, in extendẽdo huiuſmodi obligationem ad negandum omne obſequium patri: quum tamen nulla ſit tanta mancipatio etiam profitentium tria vota religionis, quæ non permittat multa facere patri aut matri.

AD quæſita autẽ retrogrado ordine reſpõdendo dicitur, quòd non eſt hîc ſermo de munere dicato per votũ: tum quia nulla fit in textu mentio de voto: tum quia materia non exigit vt admiſceatur obligatio votiua huic textui: qui de traditione humana, & non de voto quod ſpectat ad traditionẽ diuinã, loquitur: tum quia expreſſè Marcus euangeliſta interpretatur corban, hoc eſt donũ. conſtat enim quòd donum eſt datio liberalis, ac per hoc non ex neceſsitate votiua offerendũ. Eſt ergo ſermo de munere dicãdo Deo: ſiue illud munus intelligatur conſiſtere in rebus exterioribus, iuxta primã expoſitionẽ: ſiue intelligatur conſiſtere in toto quod poterat filius, iuxta ſecundam expoſitionem. Ad primò verò quæſita repõdetur, quòd ſenſus traditionis huius nullus illorũ trium eſt determinatè: ſed doctrina phariſæorum & ſcribarum conſiſtebat in hoc quòd religio tãti faciẽda eſt, vt propter eam non ſit curandum quid filius debeat patri aut matri: neq; ſit curãdum de diſtinctione, an pater egeat, aut non egeat. Et hoc teſtantur verba Domini, primò dicendo quòd traditio iſta contrariatur præcepto de honore parentum: quod nihil aliud eſt dicere quàm quòd non curat de debitis pietatis

tis officijs erga parentes, siue debeat ex articulo necessitatis, siue quomodolibet aliter. Secundò, dicendo, & vltrà non dimittitis eum quicquàm facere patri suo aut matri. Hinc enim manifestè apparet quòd religionē adeò exigebant, vt pietas erga parētes ob religionē tolleretur: quod cō stat esse iniquissimū. Hæc de prima quæstione.

CIrca secundam dubitationem de verbo Domini, Omne quod in os intrat, in secessum emittitur: Physicorum obiectio occurrit, falsam esse hanc sententiā sic dicentium, quoniam aliquid alimenti quod per os sumimus, conuertitur in substantiam sumētium: ac per hoc non totum quod per os intrat, in secessum emittitur. Ad hoc dicitur, quòd licet multipliciter glossari possit verbum Domini scriptum apud Matthæum: quia tamen Marcus euangelista suppleuit quod Matthæus tacuit de verbis Domini, ideo expositiones omnes superfluę apparent infra sensum literalem manendo. Marcus enim cap. vij. afferendo hanc Domini sententiam dicit: Omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum coinquinare: quia non intrat in cor eius, sed in ventrē vadit, & in secessum exit purgās omnes escas. Vbi manifestè patet Dominum non dixisse omne intrans in os exire in secessum: sed dixisse, omne intrans in os exire in secessum, purgās omnes escas: hoc est exire in secessum secūdum partes purgatiuas escarum, ac propterea nullam esse ambiguitatem in Domini sententia patet, si integra referatur: sed quęstioni locus est, vbi non integra sententia affertur, vt à Matthęo recitatur. Hæc de secunda.

CIrca tertiam quæstionem (de verbis Domini, Qui fidelis est in minimo, & in maiori

iori fidelis est: & qui iniquus est in modico, & in maiori iniquus est) ambiguitas occurrit quò ad primam sententiam. Tum ex experientia: quia multi fideles inueniuntur in rebus paruis: qui tamen in rebus magnis seu maximis fidem violant. Regnandi namque gratia iusiurandum etiam violant, qui militarem semper fidem seruauerunt: & sic de similibus. Tum ex ratione: quia maius attractiuum, maiorem ingerit tentationem: ac per hoc qui non superatus est à paruo attractiuo, superatur deinde à magno attractiuo vt fidem violet. Vnde non est secundum rationem consequens, vt qui fidem seruat in minimo, fidem seruet in magno.

Similiter quò ad secundam sententiam experientia testatur quòd multi peccãt in paruis, qui tamen non peccarẽt in magnis. Multi enim sunt peccantes venialiter, & mentientes officiosè, qui non peccarent mortaliter: qui non mentirentur pernicioſè, Habet quoque ratio, vt sicut non omnis infirmitas corporalis ducit ad mortem: ita non omnis lapsus spiritalis durat ad mortẽ animæ: ac per hoc non est consequens, vt qui iniquus est in modico, iniquus etiam sit in magno.

AD horum euidentiam recolendum est dupliciter ad aliquid operandum nos posse cõparari: vel secundum rationem habitualis virtutis seu vitij respicientis illud opus, vel quomodolibet contingat. verbi gratia, ad operandum quod iustum est potest homo se habere vel secundum habitum iustitiæ (hoc est secundum quòd inclinat virtus iustitiæ habituata) vel quomodolibet aliter: puta ex aliqua passione, aut ex aliqua amicitia vel odio &c. sicut etiam in artificialibus ædificator potest se habere ad construẽdam domum

mum vel secundū artem ædificandi, vel quomodolibet aliter ædificādo prout vult. Quū autem fides de qua Saluator loquitur, virtus quædā sit qua fiunt dicta, dupliciter de homine fideli loqui possumus. Primò, per se & formaliter, hoc est quatenus fidelis, & quatenus ex fide operatur. Et sic proculdubio qui fidelis est in paruo, fidelis est in magno aut maximo: quoniam virtutis obiectū quū non sit minimū quid, sed magnū alī quid ac difficile: virtus illa quæ ad minima se extendit, multo magis ad magnum tendit tanquàm ad proprium obiectum. Si verò loquamur de homine fideli per accidens (hoc est secundum coniuncta aut aduentitia accidentia) sic nulla est certa regula nisi quòd faciat prout volet. Et ex hoc capite contingit vt multi fideles sint in paruis, qui fideles non sunt in magnis: nō enim hoc prouenit ex defectu fidei, sed ex defectu nō vtentis fide. Nam quantum est ex parte fidei: qui ex fide bene se habet in paruis, multo magis ex eadem bene se haberet in magnis. sed tales in magnis ideo infideles inueniūtur quia aliunde mouentur quàm ex fide. Nulla enim virtus adeò firmat animū hominis ad seipsam quin relinquat libertatē non vtendi ipsa. Et per hoc patet respōsio ad primā obiectionem. Ad secundā verò dicitur quòd virtus quū sit habitus de difficili mobilis, & circa difficile: aut nō est si à magno sui generis attractiuo vincitur: aut si est, superat sui generis quæcunq; impedimenta. Non enim tēperantia superatur à superfluis delectationibus tactus: sed omnes eas moderādo domuit. De attractiuo ergo tentāte hominē ad perfidiā, dupliciter loqui possumus: scilicet per se, vel per accidens. Nam si loquimur de attractiuo spectante

per se ad genus fidei, non est ratio maior corrumpendi fidem in maiori attractiuo, quàm in minori: quin potius facilius est delinquere fidelẽ circa minima quàm circa magna: quoniã circa magna tanquàm circa proprium obiectũ magis vigilat virtus. Si verò de attractiuo extraneo sermo est, nihil officit propositio: quoniã sermo domini per se & formalis est. Et per hoc facilè patere potest quid dicendũ sit ad obiecta contra secũdam sententiã. Nam proportionaliter dicendũ est de vitio iniquitatis, sicut dictũ est de fidei virtute. Est enim sermo Domini de iniquitate per se & formaliter: & intendit quòd si quis ex iniquitate malè se habet in modico, ex eadẽ iniquitate malè quoq; se haberet in magno, si magna materia præsentaretur: quoniã iniquitatis obiectum non est paruũ quid (quum modicũ pro nihilo reputetur) sed magnũ aliquid: ac per hoc si iniquitas est tanta vt etiã ad minima deijciat animum: multo magis ad magna flectet tanquàm ad propriam materiam. Vnde & prouerbialiter dicitur: Cani lingẽti cinerẽ ne credas farinã. Obiecta autẽ in oppositũ similiter soluũtur, quòd scilicet militãt secundũ ea quæ sunt per accidens. Ex fragilitate siquidẽ humana, & non ex iniquitate peccant venialiter qui non peccarent mortaliter. & similiter non ex mẽtiendi consummato vitio mẽtiuntur iocosè, aut officiosè, qui non mentirẽtur perniciosè: sed ex alijs accidentibus. Non obstat quoq; adducta similitudinis ratio de infirmitate: quoniã non dicit Dominus omnẽ infirmitatẽ ducere ad mortẽ: sed quòd tam virtus quàm vitium si ducit ad modicum sui generis, ducit etiam ad magnũ illius generis. Obiectio autẽ de genere in genus migrat; de infirmitate scilicet nõ mortali,

ad

ad infirmitatem mortalem. Stat itaque Domini sententia per se & formaliter intellecta, firmissima veritate solida. Hæc de tertia.

CIrca quarto loco propositã sententiam Abrahæ, Si Moysen & prophetas non audiunt: neq; si quis ex mortuis resurrexerit credent: ambiguitas occurrit. Tum quia experiẽtia testatur quòd multi gentiles ex miraculis visis conuersi sunt ad fidẽ, qui nec Moysen nec prophetas audissent. Tum quia ratio ad hoc ducit, vt plus moueantur à Moyse & prophetis, si adiuncta fuerit resurrectio alicuius mortui, quàm ex Moyse & prophetis solis. Vnde vsque hodie non desunt Christiani dicentes, Si videremus vnũ mortuum resurgere, faceremus & diceremus &c.

AD hoc dicitur quòd sententia hæc Abrahæ duplicẽ instructionẽ continet. Docet nanque primò gratiã fidei: quòd scilicet fides donũ Dei est, & non est opus solius hominis, quantũcunq; moti à miraculis multis visis. Et hoc apertè significãt verba hæc Abrahæ, dicẽtia quòd quantumcũq; mortuus aliquis resurgẽs testetur hominibus de pœnis inferni, non propterea credent. Hinc enim habemus quòd miracula visa non sunt sufficientia ad inducendum nos in fidei virtutem. Dico autem notabiliter in fidei virtutem: ad excludendum fidem coactam (qua ex euidentia miraculorũ & operum etiam dæmones velint nolint credunt & contremiscũt) & quoniam ad literã Abraham loquitur de fide formata quæ carebãt fratres diuitis: qui ex eo quòd Abraham vocat patrem, testatur se & fratres suos fideles fuisse. Et infra hanc doctrinam manendo, nullam habet quæstionem Abrahæ sententia.

Sed vltra hoc docet secũdò statutã pœnã fide-

libus paruipẽdẽtibus ſacras ſcripturas: ita quòd ſententia hæc intelligẽda videtur vt reuelatiua diuini iudicij: vt hinc intelligamus diuina diſpoſitione deſertũ iri eos qui Moyſen & prophetas nõ audiũt: & ita induratos relinqui, vt etiã ſi viderent miracula, non mouerẽtur propterea ad veram charitatẽ. Et meritò, quia ex eo quòd diuinam largitatem qua prouidit nobis de Moyſe & prophetis (hoc eſt de ſacra ſcriptura) deſpiciũt: merentur vt nec per miracula viſa conuerſionis gratiã conſequantur. Nam tales ſe habẽt ad veram conuerſionẽ in Deum tanquàm non diuinæ gratiæ, ſed humanũ tantummodo opus ſit vera ad Deum conuerſio. Inde ſiquidem aſſeuerant quòd ſi viderent mortuũ reſurgere, facerent & dicerent &c. Quo fit vt adeò ſibijpſis relinquantur etiam quum miracula vident, qui in ſeipſis confidunt, quòd ſi miracula viderent, non cõuerterẽtur. Et quòd ita ſit vt Abraham dixit, teſtatur Ioan. euengeliſt. cap. xj. diſtinguẽs inter Iudæos præſentes reſurrectioni Lazari, quòd quidã crediderunt: quidam autem abierunt ad Phariſæos, & dixerũt eis quæ fecit Ieſus. Et inde pontifices & Phariſæi concilium collegerunt vt interficerent Ieſum. ex hoc enim quòd præſentium in reſurrectione Lazari quidam crediderunt in Chriſtum, & quidam non, manifeſta fit veritas ſentẽtiæ Abrahæ, quòd nõ ex hoc quòd aliquis ex mortuis reſurgit, credunt homines, ſed ex dono Dei. Eſt ſiquidem credere donum Dei, vt Apoſtolus dixit.

AD obiecta autem in oppoſitum dicitur, quòd licet commune ſit tam fidelibus quàm infidelibus hoc (ſcilicet quòd credere eſt donũ Dei, & non ex ſolis nobis quantumcunque videa-

mus

mus miracula) diuina tamen prouidentia, differentia ordinata videtur inter fideles & gentiles: quòd fideles qui habẽt Moysen & prophetas, si non audiũt illos, relinquãtur sibijpsis, vt nec ex miraculis cõuertantur: gentiles autẽ qui hoc sacrilegio diuina non cõtempserunt, miraculis adiuuandi ad conuersionẽ sint. vnde Marcus Euangelista de cõuersione infidelium dicit, Domino cooperãte & sermonẽ confirmante sequentibus signis. Et ad hanc denotandũ differentiã Abraham dãnato diuiti dixit, Habẽt Moysen & prophetas: audiant illos. significatur enim per hoc quòd fratres illius diuitis erant de numero fidelium, qui habebant Moysen & Prophetas. Vnde obiectio de gentiliũ cõuersione ob miracula, non militat contra hanc sententiam. Ad alteram verò obiectionẽ dicitur quòd licet multiplicato motiuo ad cõuersionem, facilior sit cæteris paribus hominis cõuersio: in pœnam tamen datur fidelibus cõtemnentibus traditiones sacrarũ scripturarum, vt nec ex multiplicatis motiuis extrinsecis cõuertantur. Arrogantibus enim sibijpsis conuersionem si viderent miracula, resistit Deus subtrahendo conuersionis gratiã. scriptum est enim: Superbis Deus resistit. Et est sententia hæc Abrahæ intelligenda regulariter. nam non est propterea alligata manus Dei, vt non possit ex speciali gratia cõuertere aliquem huiusmodi contemptorem excitãdo simul illum ex aliquo viso miraculo. Hæc de quarta.

CIrca verba Ioannis Euangelistę quinto loco proposita, Quotquot autem receperũt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: triplex ambiguitas occurrit. Prima est, quid sit huiusmodi potestas. Secunda est, quomodo stant ista duo

simul,quòd receperint Deum,& quòd non sint filij Dei,sed habent potestatem vt fiãt filij Dei. Nam si receperunt eum,iam sunt filij Dei : & si sunt filij,non opus habẽt vt fiãt filij:quod enim iam est,nõ potest amplius fieri. Et ecõtra si possunt fieri filij:ergo non sunt filij : & si non sunt filij,non receperunt eum.

Tertia est , quomodo consonant sibijnuicem hæc duo,scilicet potestas & fieri. Nam potestas actiuum significat principium,ac per hoc actionis est:fieri verò passionem significat. Dissonant ergo ab inuicem quòd sit potestas fieri:tanquàm si diceretur potestas patiendi : quod videtur implicare contraria simul. potestas enim est potestas faciendi,& non patiendi.

AD horum euidentiã duo sunt prænotãda. Primũ est,discretio eius quod est dei,ab eo quod ex nobis est in receptione qua Deum recipimus per fidẽ. Interueniũt siquidẽ in huiusmodi receptione duo: hoc est donũ Dei,& volũtariũ opus nostrum. Nec separãtur hæc duo secundũ tẽpus, vt vel prius tẽpore sit opus nostrũ quàm donum Dei,vel prius tẽpore sit donũ dei quàm opus nostrum,sed simul tempore efficiẽti nos dono Dei, recipimus ipsum credendo. Secundum est,discernere inter id quod de facto diuina prouidentia disposuit,& id quod potuisset si voluisset aliter disponere:Nam de facto disposuit diuina largitas,vt donũ fidei annexũ haberet donum diuinæ filiationis per adoptionẽ. Ordinauit siquidẽ immobiliter vt credentes in eum,diuinæ essent naturæ consortes. Potuisset autem si voluisset ordinare vt donum fidei non haberet filialis adoptionis donum annexum,sed aliquod aliud præmium apponere fidelibus suis dãdum,quũ nulla

appa

appareat ratio necessariæ cõnexionis inter fidẽ & cœlestẽ filiationẽ. Quibus prælibatis, dicitur verba Ioan. Euãgelistæ dupliciter posse exponi. Primò, de receptione per fidẽ vt sic: hoc est abstrahẽdo à fide formata charitate. Et iuxta hunc sensum potestas est ipsa fides: quæ vt est qua credimus, vocatur fides: vt autem est qua possumus operari ad diuinũ cõsortiũ nobis promissum, est potestas qua possumus filij Dei fieri. Et sic recipiẽdo Deũ per fidẽ, nõ sumus adhuc seu ex hoc filij Dei, sed possumus filij Dei fieri per charitatem: quæ sola distinguit inter filios Dei, & filios perditionis. Et licet huiusmodi potestas sit potestas agẽdi, quia est potestas operãdi, referẽdo illã ad opera nostra: est tamẽ cũ hoc & per hoc potestas patiẽdi, referẽdo illam ad fieri & esse filiũ Dei. Nam per opera fidei præparamur ad hoc vt fiamus filij Dei ab ipso Deo, & non ad hoc vt faciamus nosipsos filios Dei. Et propterea Euangelista non dixit, Dedit eis potestatẽ filios Dei se facere: sed dixit, filios Dei fieri: vt potestas relata ad vltimũ terminũ, scilicet esse filium Dei, demõstraretur potestas nõ agẽdi, sed patiendi: relata verò ad opus propinquũ quo præparamur ad hoc vt fiamus filij Dei, intelligatur actiua, in libertate nostra posita. Et sic sapiẽtissimè & cõueniẽtissimè vtrũq; simul dixit: scilicet potestatẽ, denotãdo per hoc libertatẽ nostrã ad cooperandũ & fieri filios Dei, denotando per hoc quòd non facimus nosipsos Dei filios, sed à Deo sumus filij Dei. Et per hoc patet solutio omnium obiectorum iuxta primum sensum. Si verò exponantur verba Euangelistæ, de receptione Dei per fidem formatam charitate, idem est sensus, & eadem essent repetenda: excepto

quòd hîc non esset nisi ordo naturæ inter fidem & charitatem, & inter fieri & esse filiũ Dei. Vnde qui sunt perspicacis ingenij, & intelligũt quid interſit inter ordinem temporis & ordinẽ naturæ, applicare facilè possunt prædicta ordini naturæ. Nam vt summariè dicatur, potestas est ipsa fides: & quotquot per fidem charitate formatam receperunt eum, simul tempore receperunt tria: scilicet posse fieri filios Dei, fieri filios Dei, & esse filios Dei. Primum per fidẽ: secundũ per charitatis susceptionem: tertium per ipsam charitatem. Sed primũ prius natura quàm secundum, & secundũ prius natura quàm tertium. Et secũdum vtrunq; sensum significauit Euangelista liberalitatem diuinam quũ recepimus eum: quoniam hinc didicimus quòd receptionẽ suam opus quodammodo nostrũ donat diuina bonitas gratia fidei & potestatis diuinæ filiationis, & ipsa etiam diuina filiatione quandoq; : hoc est si perfecta est receptio: hoc est si ex toto corde eum recepimus. Hæc de quinta & omnibus præpositis. Budę in die sancti Gregorij. M. D. X X I I I I.

SEXTVM IENTACVLVM in quo sex tractantur.

OCCVRRVNT sexto in his diebus dominicæ passionis tractanda sex. Primum, verba Domini in cœna: Non bibam de hoc genimine vitis vsq; in diem illum, quum illud bibam vobiscum nouũ in regno patris mei. Secundum, verbum Domini ad Iudam in eadem

dem cœna : Quod facis, fac citius. Tertium, verbum Domini ad Petrum quũ percusſit Malchum : Conuerte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim qui acceperint gladiũ, gladio peribunt. Quartum, apud Marcum Euangeliſtam: Adoleſcens autem quidã ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerunt eum &c.

Quintũ, Erat autem paraſceue Paſchæ. Sextum apud Ioannem : Accipite eum vos, & crucifigite.

CIrca primum difficultas nonnulla eſt : quia non apparet quòd nouum vinũ biberit ſeu bibiturus ſit CHRISTVS cum Apoſtolis in regno patris ſui.

AD hoc dicitur quòd quum Dominus dixit, quum bibam illud vobiſcum nouum : ly nouum poteſt eſſe nomen, & poteſt eſſe aduerbiũ. Et ſi eſt nomen, eſt ſermo de ſpiritali vino, hoc eſt gaudio nouo quod CHRISTVS in reſurrectione ſua ob nouam corporis immortalitatem aſſecutus eſt: ita quòd intendit ſe nõ amplius bibiturum corporale vinum donec tranſeat ad ſpiritale vinum, id eſt gaudiũ immortalitatis quod bibiturus erat cum Apoſtolis: quoniã participes eos erat facturus illius gaudij : iuxta illud: Iterũ autẽ videbo vos, & gaudebit cor veſtrũ: & gaudium veſtrũ nemo tollet à vobis. Et hic ſenſus conſonat verbis relatis à Luca Euãgeliſta: dùm refert Dominũ nõ ſolum de potu, ſed de cibo dixiſſe, Ex hoc nõ mãducabo illud donec impleatur in regno Dei. manifeſtans quòd donec impleretur Paſcha (hoc eſt donec figura tranſiret in veritatem : hoc eſt CHRISTVS immolatus in cruce, expoliato inferno, demerſoque diabolo, liberato mundo à tenebrarum ſeruitute,

transiret ad immortalem vitam etiam corporis) non esset amplius comesturus & bibiturus. Si autem ly nouum aduerbij vim habeat: verificatur de potu corporali: prædixit enim iuxta hũc sensum Dominus, quòd nõ esset amplius bibiturus vinũ vsquequo resurgeret à mortuis: & quòd tunc esset bibiturus cum ipsis Apostolis vinum nouum, id est nouiter: hoc est impassibiliter, & non ex indigentia aut siti, vt ante passionem indigebat potu & cibo: sed ex potestate. Et iuxta vtrunque sensum duo prædixit Dominus discipulis. Alterũ iustitiæ, scilicet quòd nõ esset amplius in hac passibili vita comesturus & bibiturus. Alterũ lætitiæ celeriter futurę, scilicet quòd transibat tunc ad regnũ patris sui: hoc est ad immortalitatẽ corporis per resurrectionẽ, quam intra triduũ à morte sua futurã prædixerat. in qua immortali vita participes eos esset facturus sui gaudij, non solum videndo iuxta primam expositionem, sed etiam simul comedendo & bibẽdo iuxta secundam expositionem.

CIrca secundum (scilicet, Quod facis, fac citius) admirationem infert impulsio hæc quoniã impellere ludã ad accelerandũ negotiũ proditionis, alienũ censetur nõ solum à Domino, sed à quocunq; viro iusto: verba autẽ hæc impulsum sonant ad negotium proditionis exequendum.

AD hoc dicitur quòd in negotio proditionis CHRISTI à Iuda inuenitur aliquid boni, & aliquid mali. Et bonum quidem inuenitur triplex. Primum, secundum effectum qui est passio CHRISTI. Et quantum ad hoc verba CHRISTI, optantis sunt, quum dicit, Quod facis, fac citius. optat enim citò pati: ita quòd iuxta hunc sensum non impellit Iudam ad acce-

leran

lerandum actionem, sed optat celeritatem passionis. Et hoc suum desiderium aperiebat per hæc verba Iudæ, tanquàm diceret: Quod tu facis, desidero celerius pati. Secundum bonum est, bonum naturæ ipsarum actionum Iudæ. Omnis enim actio quantumcunq; mala moraliter, quum sit res aliqua, bona est bonitate naturæ: & vt sic, est à Deo. Et quantum ad hoc, verba hæc Domini sunt præceptiua, & significant ordinem diuinæ prouidentiæ ad accelerandum actiones Iudæ, vt tempore statuto à diuina prædestinatione adimpleretur passio CHRISTI. Sicut enim malũ nõ est Deũ cooperari actionibus peccatorũ quantum ad bonitatẽ naturæ: ita malũ nõ est illas præcipere. Tertium bonũ est, ordo mali culpæ, hoc est peccati ipsius Iudæ. Deus enim omnipotens qui mala ordinat in bonum, peccatum Iudæ ordinauit in bonum passionis CHRISTI, & redemptionis humanæ.

Et quantum ad hoc bonum ordinis, verba Domini sunt verba ordinãtis, & volentis adimpleri ordinem illum, vtendo iniquitate ipsius Iudæ ad bonũ. Malum autẽ in opere Iudę manifestum est, scilicet ipsum peccatũ. Et quò ad hoc verba Domini dupliciter exponi possunt. Primò permissiuè. Et hoc est verum quantum ad hoc quòd Iudas peccauit. Secundò significatiuè: hoc est quòd Dominus aperiebat ipsi Iudæ clarè & apertè quòd sciebat iniquũ propositum eius: vt vel sic occasionem habere posset resipiscendi, dum conspiceret magistrum suum tantæ sanctitatis esse vt cognosceret secretissimum cor eius, & ad quid tunc ipse ire volebat: & non solum quòd sciebat in genere Vnus vestrum me traditurus est. Debebat enim hinc

pœni

pœnitentia duci, qua poſtea ductus eſt inutiliter, dicens : Peccaui tradẽs ſanguinem iuſtum. Vnde quum in actione Iudæ relata ad Dominum IESVM, multiplex bonum deſiderabile adeſſet, rationabiliter à Domino impulſus eſt Iudas ad faciendum celeriter vnde tot bona conſurgerent, relinquendo ſibijpſi curam ſuæ culpæ.

CIrca tertium. Omnes enim qui gladiũ acceperint &c. ex duplici capite obſcura videntur hæc Domini verba. Primò, quantum ad veritatem ſententiæ : quia non videmus verificari quòd gladio pereant omnes qui gladium accipiunt, ſiue iuſtè ſiue iniuſtè accipiant. Secundò, ex applicatione iſtorum verborũ ad factum Petri. nam Petrus non videtur peccaſſe vtendo gladio percuſsiuo cõtra aggreſſores CHRISTI, quum haberet iuſtum bellum, & manifeſta eſſet iniquitas volentium capere CHRISTVM.

Et ſi Petrus iuſtè vſus eſt gladio, quare propter retrahẽdi gladiũ dicitur ei, omnis enim qui gladium acceperit &c. aut enim hæc ratio non eſt ratio ad propoſitum factum Petri : aut ſi eſt ratio ad propoſitum, Petrus peccauit : quod eſt abſurdum.

AD hoc dicitur quòd non eſt ſenſus dominicæ huius ſententiæ, gladio materiali perituros eos qui gladium acceperint: ſed ſenſus eſt quòd merebuntur gladio perire, vel quòd patientur contrapaſſum : hoc eſt tantum patientur quantum offenderunt: vt per correſpondentiã pœnæ gladij ad actionem gladij, intelligamus contrapaſſum. Et hoc proculdubio verificatur, licet nõ ſecundum ſpeciem, ſecundũ quantitatem tamen pœnæ : iuxta illud : Quantum ſe exaltauit in delicijs, tantũ illi date tormẽtum. Et hic ſenſus

vide

videtur magis consonus literæ, pro quanto non loquitur litera de merito, sed futura pœna. non enim dicit, merentur gladio perire, sed peribunt gladio. Et per accipere gladium intelligitur propria authoritate & voluntate vti gladio. Principes enim & iudices non accipiunt quasi à seipsis, sed concesso sibi gladio à Deo vtuntur: quoniã sunt ministri Dei ad vindictam malorum: vt Petrus primæ suæ Epistolæ cap. ij. dicit, & Paulus ad Rom. xiij. Priuatæ autẽ personæ defendentes se gladio absq; culpa, non accipiunt gladiũ propria voluntate: sed coguntur ab inuasorum aggressione vti gladio ad sui defensionem. Stat ergo solida dominica sententia, quòd omnes qui tanquam à seipsis acceperint gladiũ, gladio peribunt: hoc est non erũt impuniti, sed tantum patientur quantum offenderint.

Ad alteram verò obiectionem dicitur, quòd licet factum Petri ex parte intentionis suæ & iustissimæ ac pijssimæ causæ fuerit laudabile, dupliciter tamen mali speciem habuit. Primò, quia præceps apparet: dum sciens spontaneam magistri voluntatẽ ad patiendũ: nõ debuit præsente magistro & requisito, Domine si percutimus in gladio? ante responsionẽ percutere. Secundò (quod magis vrget) quia ad vindictã magis quàm ad defensionẽ percussio illa spectabat. Nam præsente cohorte præsidis & ministris Iudæorum, adeò quòd erat turba multa cum armis &c. prudens ratio non debebat mouere Petrum ad defensionem: quũ vana prospiceretur huiusmodi defensio, & potius nocitura esset quàm profutura. Prodesse siquidẽ non poterat contra tot & tales. Nocere autẽ multum poterat: vtpote qui ministros curiæ percussissent; & Domino impu

imputaretur quòd armis conatus fuerit se defendere. Propter hæc enim euitãda scandala Dominus statim Malchũ sanauit. Quò fit vt percussio illa quasi ad vindictã tenderet: vt faciunt hi qui etsi non possunt euadere, volunt tamen vindictã qualemcunq; possunt facere antequàm capiãtur. Et sic percussio Petri habuit speciem vindictæ: quæ priuatis personis illicita est. Verba ergo Domini non extra propositum allata sunt pro ratione retrahendi gladium à Petro extractum: quoniam factum Petri reprehensibile erat, tanquàm habens speciem mali: hoc est vindictæ. Et Petrus erat tanquam accipiens gladium: hoc est quasi propria potestate vtens gladio ad quasi vindictam. Vtor autem istis quasi & tanquam, quoniam de ipso opere loquor, & non de intentione Petri: quia nesciẽs quid faceret, ad defensionem magistri tendebat. Vnde Dominus ex duobus capitibus Petrũ arguit. Primò, ex parte facti habentis speciẽ mali. Secundò, ex parte impedimenti quod præstabat Petrus diuinæ ordinationi, nesciens quid faceret.

CIrca quartũ de adolescẽte sequente CHRISTVM, incertum est quis fuerit, certum tamen videtur quòd nullus apostolus fuit. Et quidem quòd non fuerit Ioannes Euangelista, constat ex ætate: nam tunc temporis Ioannes non erat adolescens: quoniam transierat trigesimum ætatis suæ annum: vt patet computando annos quibus postea vixit vsq; ad nonagesimũnonum ætatis suæ annũ. Obijt siquidẽ anno à passione Domini lxvij. vel viij. imperante Traiano: quibus annis si addatur quod supererat vsq; ad nonagesimumnonum suæ ætatis annum, manifestè apparet quòd iam erat xxx. annorum ad minus

tempo

tempore passionis CHRISTI: ac per hoc nõ erat adolescens. Et quum dicatur iunior Ioãnes reliquis apostolis, consequens est quòd nullus alius apostolorum fuerit ille adolescens. Siquis etiam verba Marci euangelistæ diligenter perspiciat, idem inueniet. nam quum dixisset quòd discipuli omnes fugerũt, tanquàm è regione cõmemorans adolescentem, subdit, Adolescens autem quidã sequebatur eum. Hinc enim insinuat omnibus Apostolis fugientibus adolescẽtem sequutum esse CHRISTVM: ac per hoc non esse illum de numero Apostolorum.

Suadetur quoq; tertiò hoc idem ex modo quo opertus erat, scilicet sindone super nudo corpore. Non videtur siquidẽ verisimile quòd apostolus aliquis sic coopertus cœnasset cum CHRISTO: quũ huiusmodi operimentũ (scilicet quasi circumuolui vno linteamine) nõ sit ordinarius modus vestiendi, sed accidentalis ijs qui surgunt ex lecto. Et hinc æstimari potest quòd adolescẽs ille in lecto erat ibi in horto, & surrexerat vel fortè ad rumorem, vel ad aperiendum ianuã horti, vel &c. & amans CHRISTVM, vtpote frequenter conuersatũ in illo horto, sequebatur eũ.

CIrca quintũ de parasceue Paschæ scrupulus nonnullus occurrit ex eo quòd dies ille quo passus est Christus, erat primus dies Paschę: vtpote in cuius principio vespertino immolatus erat Paschalis agnus. prim⁹ autẽ dies Paschę erat sanctus, & nullũ opus seruile in eo erat licitũ: vt patet Leuit. xxiij. Quomodo ergo erat dies præparationis, ac per hoc operis seruilis, vt Euãgelistæ dicũt? Et cõfirmatur ex eo quòd Lucas Euãgelista dicit quòd mulieres quæ cũ Iesu venerãt de Galilæa viderũt monumentũ, & quemadmodũ posi

poſitum erat corpus eius : & reuertentes parauerunt aromata & vnguenta : & ſabbato quidē ſiluerunt ſecundū mandatum. vbi apparet quòd ipſa die Paraſceues mulieres parauerunt aromata & vnguenta.

AD hoc dicitur quòd feſtiuitas diei ſeptimi qui ſanctificabatur in memoriā quòd Deus requieuit die ſeptimo ab omni opere quod patrarat, excedebat cæteras feſtiuitates : ita quòd non ſolum arctius ſanctificanda erat dies ſeptima, ſed etiam violari (ſine crimine tamen) poterat alia feſtiuitas veniens in feria ſexta ob reuerentiam diei ſeptimæ. Nec hoc ego ſomnio: ſed ex Exodo cap. xvj. accepi. Ibi enim expreſsè mandatur abſq; exceptione cuiuſcunq; feſtiuitatis, vt feria ſexta colligāt cibaria duplicia, & parent paranda, & coquant coquēda propter diem ſeptimam. Quum enim ſciret lex multas feſtiuitates poſſe contingere in feria ſexta, & nullam exemptam fecerit ab huiuſmodi præparatione propter diem ſeptimam, conceſsiſſe videtur vt talis feſtiuitas in ſexta feria eueniens minus ſanctificaretur : alioquin oportuiſſet legem diſponere & ordinare quòd quandoq; (ſcilicet aduenīente feſto in feria ſexta) colligenda fuiſſent cibaria triplicia in feria quinta, & præparanda & coquenda : quod nunquam ſancitum inuenitur. Et hinc licita erat paraſceue (hoc eſt præparatio pro ſolennitate ſabbati) & licitū erat & coquere, & emere &c. Et ſic ceſſant obiectiones.

CIrca ſextum de verbis Pilati ad Pontifices Iudæorum, quæſtiuncula occurrit, cur pontifices Iudæorum recuſarunt iudicare & crucifigere per ſeipſos CHRISTVM, Pilato bis remittēte CHRISTVM ad eorum iudicium: vt

Ioan

Ioannes euangelista testatur. Mirum enim hoc videtur: quum tam vehementer desyderarent & procurarent occisionem CHRISTI.

AD hoc dicitur quòd reuera semel tãtùm pontifices Iudæorũ recusarunt iudicare CHRISTVM, scilicet prima vice: quia non permittebatur eis damnare ipsum ad mortem vt volebant, sed tantummodo iudicare ad leuiorem pœnam. Quod vt clarè percipiatur, notanda est series & verborum & gestorum: quoniam ex ea clarè apparet sic esse. Pontifices enim quum intulissent CHRISTVM vinctũ in prætorium Pilati, vt mandante Pilato interficeretur, tentarunt primò si sine expressione specialis criminis, & discussione causæ, solo eorum testimonio quasi ex authoritate possent inducere Pilatum ad consentiendum morti CHRISTI tanquam personæ abiectæ: & propterea Pilato interroganti eos, Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? responderunt per locum ab authoritate propria, Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Et tunc Pilatus sciens quòd per inuidiam tradidissent eum, & videns eos stare in sua dignitate & authoritate, quæsiuit repellere à se hanc causam, & dixit eis: Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum. Vbi duo faciebat: quia & respondebat consequenter pontificibus, & saluabat vitam CHRISTI. Respondebat quidem consequenter, tanquam dicens, Ex quo vos nõ vultis vt ego cognoscam de causa, sed vultis quòd cognitio vestra sufficiat, accipite eum vos & iudicate. Saluabat verò vitam CHRISTI, quia dixit, iudicate secundum legem vestram. Signãter enim dixit vestram, & non dixit legem Moysi:

vt per ly vestram intelligerent legem sibi permissam seu concessam à Romanis, siue illa lex esset ipsa lex Moysi limitata seu moderata à Romanis quantum ad iurisdictionem mortis, siue essent statuta aliqua à Romanis illis data.

Et quòd iste fuerit verus sensus verborũ Pilati, testatur responsio pontificum quum dixerunt, Nobis non licet interficere quenquam. Tanquam dicerent: Iste malefactor meretur pœnam mortis, quæ excedit facultatem nostram: nobis enim non licet interficere quenquam. Hæc enim responsio quum constet quòd non est vera secundum legẽ Moysi absolutè (quia secundũ Moysi legem licitũ est eis interficere malefactores multos) opus est vt intelligatur secundũ legem à Romanis permissam seu datam. Vnde patet ratio quare à principio pontifices recusarunt iudicare CHRISTVM: quia scilicet volebant ipsum damnari ad mortem, quod eis nõ permittebatur ex illa Pilati remissione. Vnde non valentes inducere quasi ex authoritate Pilatum ad damnationem CHRISTI, descenderũt ad spiritalia crimina, accusantes ipsum in quatuor, quæ Lucas narrat &c. De secunda autem vice quum Pilatus dixit, Accipite eum vos & crucifigite, alia est ratio, & alius sensus. Dixit siquidem hęc verba Pilatus postquàm examinata fuerat causa IESV Christi & ab Herode & ab ipso: & adduxerat iam ipsum foras portantem spinçam coronam &c. Et non dixit eo sensu nec ea ratione vt pontificibus permitteret potestatem crucifigendi CHRISTVM (hãc enim libẽter acceptassent) sed eo sensu & ratione, vt crimen tanti facinoris (scilicet interficiẽdi CHRISTVM innocentem) in pontifices retruderet: iuxta consuetum

suetum loquendi morem, quo nos impulsi ab aliquibus vt faciamus aliquid quod nobis videtur iniquum, respondere solemus: ego non possum hoc facere, faciatis vos. non per hoc probantes aut concedentes quòd ipsi faciant, sed retorquentes crimen in eos.

Et quòd iste sit verus sensus, & intentus à Pilato, & intellectus à pontificibus, patet ex parte quidem Pilati, quia addidit, Ego enim non inuenio in eo causam, scilicet mortis. Ex parte verò pontificum: quia directè responderunt ad retorsionem criminis, dicentes se in hac petitione nullum peccatum incurrere, sed diuinam legem seruare. responderunt enim: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Vbi petitionem suam ex lege diuina iustificarũt, & Dominum IESVM reum vsurpatæ deitatis dixerunt: tanquàm si dicerent: Si de peccato agitur, non putes nos causam procurare iniquam: quoniam secundum legem procedimus. Vnde & Pilatus audito hoc sermone magis timuit displicere Iudæis, absoluendo illum, quem lex eorum dignum morte facit. Nunquã ergo pontifices recusarunt iudicare CHRISTVM ad mortem: sed prima vice recusarunt iudicium sine facultate damnandi ad mortem. Secunda autem vice non recusarunt facultatem crucifigendi CHRISTVM, quia nõ eis oblata fuit à Pilato per illa verba: sed refellerunt crimen à se, quod Pilatus in eos retorquebat, prosequentes causam contra CHRISTVM.

Et sic cessat quæstio & obiectio.

Budæ in parasceue.

M. D. XXIIII.

SEPTIMVM IENTACULUM: in quo tractantur tria.

OCCVRRVNT septimò in hac solennitate Paschali tria. Primum est apud Lucam euãgelistam de duobus discipulis euntibus in Emaus: Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. Secundũ est, vnde sciatur ꝙ Thomas tetigit manus & latus CHRISTI, vt doctores affirmant. Tertium, quod in his diebus legitur ex Apocal. cap. v. Dignus est agnus qui occisus est, accipere diuinitatem.

CIrca primum, Oculi autem eorum tenebantur &c. dubium occurrit, an sit sermo de oculis corporis, an de oculis animæ. Quod enim sit sermo de oculis corporis, ex eo apparet, ꝙ si corporalibus oculis intuiti fuissent ipsum CHRISTVM: quum haberent ex pristina conuersatione sensitiuam notitiam eius: videndo cognouissent eum non minus tunc quàm ante resurrectionem. Vnde ex hoc ipso quòd vidẽtes ipsum non cognouerũt eum, habetur quòd aliquod impedimentum in eorum corporali visione erat: quo fiebat vt videndo non cognoscerent ipsum sicut prius vidẽdo cognouerant. Quòd verò sit sermo de oculis mentis, ex duobus apparet. Primò, quia illimet oculi detẽti sunt ne eum agnoscerẽt, qui postea aperti sunt in fractione panis. sed in fractione panis sunt aperti oculi interiores. ergo de illismet dixerat euangelista ꝙ oculi

eorum

eorum tenebãtur. Secũdò, ex eo q̃ non sufficiẽs impedimentum cognitionis CHRISTI allatum fuisset ex impedimẽto visionis corporalis. Nam per sensum auditus restabat sufficiens via ad cognoscendũ CHRISTVM. Audiẽdo siquidem propriã ipsius vocẽ dum loqueretur in via, & aperiret illis scripturas: cognoscere poterant imò debebant ipsum esse CHRISTVM, sicut ante passionẽ cognouissent ipsum voce si audissent ipsum loquẽtem in nocte absq; hoc q̃ viderent ipsum. Vnde ex hoc q̃ neq; audiẽdo ipsius vocem cognouerunt ipsum esse magistrũ suum, insinuatur quòd interiores erãt illi oculi qui tenebantur ne agnoscerent eum. Nihil enim spectat ad oculos corporeos cognoscere personam aliquam per auditum propriæ vocis.

AD hoc dicitur, quòd sine dubio de vtriusq; oculis verificantur verba Euangelistæ: principalis tamen euangelistæ intentio ad interiores oculos referri videtur. Declaro singula. Quòd enim oculi corporei discipulorum tenerentur ne agnoscerent eum, ex verbis Marci euangelistæ clarius percipitur. Nam Marcus explicat quòd CHRISTVS duobus discipulis euntibus in villam ostensus est in alia effigie. vbi manifestatur quòd in oculis corporeis ambulantium discipulorũ ostendebatur nõ propria CHRISTI effigies, sed alia: quam Lucas insinuat ex verbis discipulorum fuisse effigiem peregrini, dum dixerunt, Tu solus peregrinus es in Hierusalem. Aliam autem effigiem intellige, nõ quòd aliquam figuram aëream vnius peregrini formauerit Dominus coram oculis illorum (quoniam Dominus seipsum eis monstrauit) neq; q̃ in oculis discipulorum aliqua ægri-

tudinis seu illusionis species facta fuerit, qua impedita fuerit visio colorũ & figura ipsius CHRISTI (quoniã nulla ad hoc ratio ducit) sed ꝙ facies CHRISTI immutabat tam diaphanũ medium quàm oculos discipulorum, non secundum omnem dispositionẽ quam habebat, sed secũdum aliquid sic, & secundũ aliquid nõ. Verbi gratia: immutabat secundũ aliquid suorũ lineamentorum, oculorũ, nasi, frontis &c. & secundum aliquid nõ: aut secundũ aliquid coloris sui, & secundum aliquid nõ. Et sic apparebat in alia effigie: & sic apparebat peregrinus nõ per formam seu figuram alterã, sed per subtractionẽ immutationis secundum omne quod suæ figuræ seu coloris erat: hinc enim apparentia fit alterius. Et parua huiusmodi varietas in immutãdo sufficit ad alienam effigiem apparendã, & ad nõ apparendam propriam: quoniã species visibilis sic deficiens ab integritate obiecti, repræsentat non talem faciem, nõ tales oculos &c. ac per hoc repr̃sentat alienam effigiem. Constat autẽ hoc fuisse in potestate ipsius CHRISTI: in cuius potestate erat efficere vt etiam præsens non videretur. Et sicut non miramur corpus CHRISTI glorioſum non immutasse oculos corporeos discipulorum quatenus erat lucidum: ita non est mirandum quòd non immutauit oculos istorum duorum secundum omnem dispositionem sui vultus. Ex hac ergo subtractione immutationis immutabantur oculi discipulorum ad videndum CHRISTVM non sub propria effigie, & ad iudicandum ipsum peregrinum. Et in hoc constitit impedimentum, quo oculi eorum corporei tenebantur ne eum agnoscerent. Et hæc quò ad impedimentum iudicij secundum corporalem visionem

sufficere videntur. Sed quomodo auditus iudicium impeditum fuerit vt non discreuerint vocem CHRISTI, non videtur similis ratio. Nam fictioni simile videtur, quòd vox CHRISTI aliter immutauerit auditum eorum quàm formata ab ipso CHRISTO fuerit: aut quòd secundum aliquid immutauerit, & secundum aliquid non. Vnde rationabiliter intelligimus quòd sicut homines qui sciunt varijs loqui linguis, diuersimodè loquuntur dum diuersis vtuntur linguis: & sicut qui personam alienam fingunt loquendo, ita quandoq; loquuntur vt à non videntibus eos putentur illi esse quorũ personã fingũt in loquẽdo: ita multò magis Dominus IESVS diuersis modis loquebatur: & nõ semper loquebatur modo quo consuetus erat loqui ante passionem, seruato tamen eodem idiomate. Et sic istis duobus discipulis aliter locutus est quàm consueuerat ante passionem, ita quòd vox non sonabat ipsum CHRISTVM, ex hoc ipso quòd non erat illo modo formata quo consueuerat formari ante passionem.

Et ꝙ hoc ita sit, ex euãgelio Ioannis accipere possumus: dum eodẽ resurrectionis die CHRISTVS Dominus à maria Magdalena nõ est primò cognitus in voce, dum ei dixit, Mulier, quid ploras? quẽ quæris? & quasi statim est ab eadem cognitus in voce, dum dixit ei, Maria. Ex hoc enim ꝙ in secunda voce tam breui cognouit eũ, & in prima prolixiore non cognouerat eũ: accipimus ꝙ primã vocem CHRISTVS formauit quasi alienã: secundã autẽ more solito ante passionẽ: & propterea statim Maria cognouit eum. Ex hac enim solita & cognita CHRISTI voce, à Maria cognitus est: & nõ sufficiẽter ex hoc

quòd nominauit eam proprio nomine. Nam ſi ſecundum priorem vocem qua æſtimabatur hortulanus, dixiſſet nomen proprium: Maria nõ habuiſſet rationem cognoſcendi eum, ſed interrogandi, vnde me noſti? ex quo æſtimabat illũ hortulanũ eſſe. Sed dum audiuit ſuauiſsima illa voce magiſtri ſui, quã ſolita erat audire, vocari ſe nominatim: habuit ſufficientiſsimã rationem cognoſcendi eum. Sic ergo duobus iſtis diſcipulis Dominus nec propriã effigiem ſubtrahendo, aliquid immutationis corporalibus oculis monſtrauit: nec ſolitam vocem auribus eorum propoſuit, & propterea interiores oculi eorũ tenebantur ne agnoſcerent eum: ita quòd pars interior cognoſcitiua non habebat ex parte ſenſuũ vnde iudicaret illum hominem eſſe CHRISTVM: quoniã nec per ſenſum auditus, nec per ſenſum viſus offerebantur ſenſibilia offerẽtia indiuiduũ CHRISTI. Præter hanc autẽ cauſam alia extabat cauſa impediẽs oculos internos: ſcilicet minus bona diſpoſitio mentis eorũ: quam ipſimet confeſsi ſunt dicendo, Nos autem ſperabamus. quamq; CHRISTVS reprehẽdit dicẽs, O ſtulti & tardi corde &c. Hinc enim merebantur vt Dominus nec per viſum nec per auditum ſe eis aperiret. Hinc etiam merebantur, vt dum aperiret eis ſcripturas, adhuc non cognoſcerent eum.

Et per hoc patet ſecundum: ſcilicet quòd principalis intẽtio Euangeliſtæ eſt loqui de oculis interioribus: qui ex tot partibus tenebantur ne agnoſcerent eum. nam vt dictum eſt, tenebantur ex parte viſus corporei, & ex parte auditus corporei, & ex parte deſperationis, ſtultitiæ, & tarditatis. Et ij ſunt quos fateri oportet apertos in fractione panis; ſi pro quia fractio panis non

non concomitanter, sed causaliter concurrit ad hoc quòd illi cognoscerent CHRISTVM. Concurreret siquidem fractio panis concomitanter, si non ex ipsa fractione panis, sed dum frangeret CHRISTVS panem, discipuli cognouissent ipsum: hoc est, si dum frangeret panem, figura CHRISTI immutasset oculos illorum secundum se totam: & sic aperti dicerentur oculi eorum corporei. Sed hæc expositio dissonat à plano euangelij sensu. non enim replicatum esset quòd narrauerunt Apostolis quòd cognouerunt eum in fractione panis, si fractio panis concomitanter solùm concurrisset. ita enim potuissent dicere quòd cognouerunt eum in benedictione panis, aut in acceptione, aut in porrectione eiusdem, sicut dixerunt in fractione: quoniam CHRISTVS nõ solùm fregit, sed accepit, sed benedixit, sed porrexit panem. Quocirca explicando solùm fractionem, causam denotauerunt cognitionis. Et licet Euangelista non explicet modum quo fractio panis causauit in eis cognitionem CHRISTI: attamen ex hoc ipso quòd ponit fractionem ipsam fuisse causam cognitionis, insinuat miraculum aliquod in illa fractione interuenisse, puta quòd manibus frangebat, sicut alij cultello incidũt. & hoc tanquàm consuetum fieri à Domino ante passionẽ, mouit eos ad cognoscendũ ipsum esse CHRISTVM. Ex eo enim quòd isti duo discipuli narrauerunt Apostolis quomodo cognouerũt eum in fractione panis, manifestè intelligitur modum aliquem interuenisse in illa fractione, quo cognouerũt illi ipsum esse CHRISTVM Iesum: nam non dicit eos narrasse quòd cognouerunt eum: sed quomodo cognouerunt eum: nec dicit quomodo

cognouerunt eum absolutè : sed determinat, in fractione panis. Illud igitur aduerbium quomodo, determinans cognitionem in tali motiuo ad cognoscendum, scilicet in fractione panis, incitat nos ad intelligendum interuenisse in illa fractione panis, modum aliquem Domino IESV Christo proprium, ex quo discipuli cognouerunt ipsum esse Dominum IESVM. Et licet de hoc mirabili actu fractionis quòd fuerit CHRISTO consuetus ante passionem, euangelia non expressè testentur : ex hoc tamen textu & ex euangelio Ioannis non irrationabiliter sumitur. Ex hoc quidem textu non solùm quia tanquàm solitus IESV Christi actus duxit istos discipulos in CHRISTI cognitionem : sed etiam ex eo quòd isti discipuli narrauerunt Apostolis quomodo cognouerunt eum in fractione panis: tanquàm attestãtes actionem CHRISTI propriam, & ex consuetudine notam omnibus discipulis. quasi dicerent: Nos cognouimus ipsum certa cognitione, quum vidimus ipsum frangere panem more solito, vt scitis quòd consueuerat frangere. Ex euãgelio autem Ioannis, nam Ioan. vlti. quando ad mare Tyberiadis CHRISTVS post resurrectionẽ manifestauit se discipulis, ad insinuandum per hunc consuetũ actum CHRISTVM conuersatum cum discipulis, dicitur: Et venit IESVS, & accepit panem, & dabat eis, & piscem similiter. Hæc enim verba ad id tendere videntur, ꝙ CHRISTVS tam panẽ quàm piscem diuidebat discipulis proprijs manibus: non enim integrum panem, neq; integrũ piscem illis dabat. Vnde & signanter euangelista appo suit ly similiter: vt declararet quòd simili modo dabat piscem quo dabat panem ; hoc est quòd

ita

ita manibus frangebat piscem sicut frangebat panem. Hæc de primo.

CIrca secundum de actu Thomæ ratio dubitandi est: quia in euangelio non legimus Thomam tetigisse. sacri autem doctores, specialiter Leo & Greg. tactum affirmãt interuenisse.

AD hoc dicitur, quòd ex verbis Domini recitatis in euangelio Ioannis, intelligitur Thomam tetigisse: nam per actum videndi significauit Euangelista huiusmodi tactum. Quod non voluntariè dicimus, sed ex pluribus euangelistis manifestè habemus. Apud Lucam nanque Dominus ipso die resurrectionis dixit discipulis, Palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet. Vbi ly videte, non visionẽ corporalem significat: sed certificationem cognitionis ex tactu: ita quòd dicendo Palpate & videte, dicebat, Palpate & certificate vos. Apud Ioannem quoque Dominus dixit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas. Non enim digito videre poterat manũ, sed digito certificare se poterat de fissura claui in manu. & propterea dicẽs: Infer digitum tuum huc, & vide, dicebat: Infer digitum tuũ & certificare. Nec euangelistæ vsurparunt videndi vocabulũ ad designandam certam cognitionem, sed vsitatum loquendi morem sequuti sunt. Consueuimus enim videndi verbo vti non solum ad significandum corporalem visionem aut intellectualem, sed etiam ad significandum certam cognitionem secundũ quẽcunq; sensum. Et videtur hic vsus deriuatus ex certitudine sensus visus. Vnde & in psal. dicitur de sensu gust? spirituali: Gustate & videte quoniã suauis est dominus. Ex hoc ergo q̃ in hoc ꝓpo sito ipse Dominus vsus est vidẽdi verbo ad signi

fican

ficandam certam cognitionem secũdum tactum tam ad apostolos alios apud Lucam in die resurrectionis, quàm ad Thomã apud Ioannem post octo dies: consequens est vt affirmante Domino, quia vidisti me Thoma, credidisti: affirmata sit certificatio secundum tactũ: quæ per verbum videndi significata & oblata ab ipso CHRISTO erat. ita quòd dicẽdo, quia vidisti me, credidisti: dixit, quia tangẽdo certificatus es, credidisti &c. Vnde patet ex euangelio haberi quòd Thomas tetigit: & propterea confessus est credendo, Dominus meus, & Deus meus. Hæc de secundo.

CIrca tertiũ dubitandi ratio est: quia CHRISTVS Dominus ab æterno fuit Deus: nec per mortem desijt esse Deus: nã totus Deus erat in sepulchro, & totus Deus erat in inferno cum anima CHRISTI. Quomodo ergo post resurrectionem suam de eo dicitur, quòd dignus est accipere diuinitatem, quasi non haberet illam?

AD hoc breuiter dicitur, quòd accipere dicimur aliquid non solùm si de nouo accipimus illud, sed etiam si prius illud habentes de nouo vtimur. Vnde & habens gladium dicitur accipere gladium quando de nouo vtitur illo.

Et iuxta hunc sensum Dominus IESVS licet ab æterno fuerit Deus, & nunquàm desierit esse Deus: quia tamen post resurrectionem suam vsurus erat diuinitate sua manifestè, quam sub passibili carne tanto tempore occultam tenuit: & ex merito passionis suæ dicebatur sibi manifestatio gloriæ suæ (vt Apostolus ad Philip. ij. dixit) ideo dignus post resurrectionẽ suam dicitur accipere diuinitatem, non ad de nouo habendum illam, sed ad manifestum vsum illius: qui vsus vsq; ad diem iudicij, quo manifestissimè

appa

apparebit omnibus Deus, extenditur. Hæc de tertia & tota hac parte. Budæ sabbato in albis. M. D. XXIIII.

OCTAVVM IENTAculum: in quo declarantur de peccatis quinque.

CCVRRVNT Octauo declaranda de peccatis quinque.

Primum est Matt. xij. Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: spiritus autem blasphemiæ non remittetur.

Secundũ est primę ad Cor. vj. Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.

Tertium est j. Ioan. vlt. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem: petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.

Quartum est Apoc. iij. Vtinam esses calidus aut frigidus: sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo: quia dicis, diues sum & locupletatus, & nullius egeo. & nescis quia miser es & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.

Quintum est Apocalypsis vltimo: Qui nocet, noceat adhuc: & qui sordidus est, sordescat adhuc.

CIrca primum Matthæi xij. Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: spiritus autem blasphemiæ non remittetur: dubium occur

occurrit de differentia posita inter spiritum blasphemiæ,& reliqua peccata hominum quantum ad hoc quòd spiritus blasphemiæ non remittetur,reliqua verò remittẽtur. Nam aut est sermo de remissione quantum est ex natura peccati: & sic non saluatur differentia posita:quia cõmune est omni peccato mortali, quantum est ex parte sui esse irremissibile: quum faciat hominem dignum æterna morte,& constituat inimicũ Deo. Aut est sermo de remissione secundum potentiã: & nec sic saluatur differentia posita: quia commune est omni peccato mortali posse remitti non solum per omnipotentiam Dei, sed per misericordiam eius solitam: tam per sacramentum baptismi,quàm per sacramentum pœnitentiæ. Aut de remissione in actu,hoc est quòd reliqua remittentur, & hoc non.Et nec sic saluatur differentia posita:sed vtrinq; falsa videtur. nam nec de omnibus reliquis peccatis hominum verificatur quòd quãdoq; remittẽtur hominibus:quum multi dãnentur propter huiusmodi peccata. Nec pro vero asserendum est aliquod quodcunque sit illud peccatũ hominis in hac vita,quod nunquam remittetur:quoniam affirmare hoc,est ponere hominem illum in desperationem. Nam si certificatus esset quis per Domini sententiam quòd peccatum spiritus blasphemiæ nunquam remittetur, haberet causam desperandi habens tale peccatum:vtpote certus de non consequendo remissionem.

AD hoc dicitur,quòd quum manifestè spiritus blasphemiæ distinguatur in litera contra blasphemiam,videtur per spiritũ blasphemiæ intelligendũ quoddam speciale blasphemãdi genus: quod iudicio meo,constat ex maligna machinatione

tione aduersus Deum : dum aliquis ad hoc dat operam vt quæ Dei esse cognoscit, aut putat, destruat, peruertat, alij attribuat &c. huiusmodi enim blasphemiæ genus meritò blasphemiæ spiritus appellatum est, propter plenitudinem rationis blasphemandi, & propter consuetum loquendi morem quo appellamus hominẽ omnibus opponentem habere spiritum contradictionis. ita huiusmodi malignantes dicuntur habere spiritum blasphemiæ.

Inter hoc igitur crimen spiritus blasphemiæ, & alia peccata & ipsas blasphemias differentia quò ad remissionem est, quòd reliqua regulariter loquendo remittũtur hominibus, hoc autem regulariter loquendo nunquàm remittitur : ita quòd Dominus hanc differentiam reuelasse videtur in hoc textu. Et quanuis etiam istis si pœnitentiam agerẽt, venia daretur: disposuit tamen diuina iustitia permittere istos impœnitẽtes perseuerare: ita quòd sub hac Dominica reuelatione cadit non solũ negatio remissionis, sed negatio doni pœnitẽtiæ : tanquã si dictũ fuerit quòd peccãtibus spiritu blasphemiæ nũquã cõcedetur remissio: quia nunquam cõcedetur ex gratia pœnitẽdi, exigẽte hoc maxima illorũ nequitia.

Ad dubitationẽ igit̃ respõdetur ꝙ sermo est de actuali remissione nõ simpliciter & absolutè, sed regulariter: hoc est, secundũ cõmunẽ cursum. Et quũ obijcitur quòd non omnia reliqua remittũtur etiã secundũ cõmunem cursum: respondetur Dominũ non dixisse quòd omnia reliqua remittentur singulis hominibus, sed dixit quòd remitterentur hominibus . ad quod verificandum sufficit quòd remittantur aliquibus hominibus.

Quod verò obijcitur de desperatione, soluitur dicen

dicendo quòd talis non debet desperare: quoniam Deus non alligauit misericordiã suam cõmuni cursui, sed præter illũ seu supra illum pluries misertus inuenitur peccatorũ: vt patet de latrone, de Paulo, de Magdalena, quos supra communem cursum statim ita euexit. Omni ergo conatu, ieiunijs & eleemosynis, & orationibus, alienisq; suffragijs tãtò magis conari talis deberet ad diuinã implorandã misericordiam, quanto remotiorẽ se ab illa constituit. Hæc de primo.

Circa secũdum j. ad Cor. vj. Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autẽ fornicatur, in corpus suum peccat. quæstio occurrit tum cõtra primam partem, tum cõtra secundã. Contra primã quidem: quoniã falsum videtur omne aliud à fornicatione peccatũ extra corpus esse. Apparet enim triplex manifesta instantia. Prima, de comessationibus & ebrietatibus, quas constat peccata esse in corpore, & non extra corpus. Secũda, de percussione & vulneratione suijpsius: quum enim quis percutit aut vulnerat seipsum, manifestè peccat contrà corpus suũ plus quàm inebriãs se. Tertia, de abusu manuũ loco pedũ: vt siquis ambularet more quadrupedũ. hinc enim maximè peccaret in corpus suũ, dehonestans illud, & abdũcẽs ac deijciẽs ab humana dignitate, & efficiẽs illud simile bestijs.

Contra secundam verò partẽ: quoniã non apparet vera neq; per se, neque per accidens. Non per se: quia licet in peccatis contra naturam contumelia fiat corpori (iuxta illud ad Ro. j. Vt contumelijs afficiant corpora propria) in peccatis tamen naturalibus, quale est fornicatio, nulla apparet iniuria corporis, sed animæ: dum anima subditur corpori, & inquinatur peccato. Nec

per

per accidens: quoniam non oportet fornicantem nocere corpori proprio, quũ semen sit de superfluo individui &c. Et si ad ea quæ sunt per accidens egrediendum est: in promptu obijceretur quòd plures occidit crapula quàm gladius.

AD hoc dicitur, sermonẽ Apostoli esse de peccatis humanis in genere: ita quòd non intendit fornicationem comparare singulis peccatorum speciebus, sed cõmunibus generalibus peccatis: nec loquitur de effectibus peccatorum, sed de peccatis ipsis: & intẽdit quòd solum peccatum fornicationis, & tantò magis adulterij & similium, est peccatum in corpus proprium: hoc est, infert iniuriam proprio corpori. quum distinguitur enim peccatum in Deum, in proximum &c. sensus est quòd infert iniuriam Deo, infert iniuriam proximo &c. Ac per hoc quum dicitur hîc quòd peccat in corpus proprium, sensus est quòd iniuriam facit proprio corpori. Vnde ad obiecta contra primam partem respondendo, dicitur quòd neq; comessatio neque ebrietas iniuriosa est corpori proprio in ipso actu peccati, quãuis effectus earum iniuriosus sit corpori, pro quanto illi nocet: & pro tanto dicuntur extra corpus esse quò ad iniuriam: quia extra corpus sumitur hîc vt distinguitur contra peccare in corpus proprium: in quo fornicatio à reliquis differre dicitur. De percussione autẽ & vulneratione propria, dicitur huiusmodi crimina computari extra generalem rationem peccatorum communium: vt patet ex hoc quòd homicidium secundum communem suam rationem non ponitur peccatum in corpus proprium: & tamen occidere seipsum, maximè est cõtra corpus propriũ. Vnde huiusmodi specialia peccata vt existentia

extra comparationem quam facit Apostolus, reijciẽda sunt. De ambulatione verò more quadrupedũ & similibus, dicitur quòd quũ hæc sint peccata plus quàm humana (quoniã apud Philosophos sunt peccata bestialitatis) valde remota sunt à cõparatione quæ ab Apostolo fit. Ad ea verò quæ obijciuntur cõtra secundã partem, respondetur quòd sermo est de iniuria quam per se facit fornicatio corpori proprio. Et quum quæritur, quæ est illa iniuria? respondetur quòd est duplex, scilicet dehonorationis & subiectionis. Dehonorationis quidẽ, quia mẽbra sua membra facit meretricis. qui enim adhęret meretrici, vnũ corpus efficitur cum ea. Subiectionis verò: quia mẽbra sua subijcit potestati meretricis. vnde patet quòd non oportet recurrere ad nocumenta per accidens, aut ad quæcunque alia per accidens. Hec de secundo.

CIrca tertiũ. j. Ioan. vlt. Qui scit fratrẽ suum peccare peccatum non ad mortem: petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. est peccatum ad mortẽ, non pro illo dico vt roget quis. difficultas occurrit de differentia peccati ad mortem, & peccati non ad mortem. an sit sermo de morte corporis, an de morte animæ: ita quòd si ad mortem corporis spectatur, peccatum ad mortem intelligitur finalis impœnitentia: hoc est, quando homo moritur in peccato mortali absque pœnitentia interiori: hoc enim est peccatum durans vsque ad mortem corporis inclusiuè, & propterea ducens ad mortem æternam. Si autem ad mortem animæ spectatur, vocatur peccatum ad mortem omne peccatum mortale: quia mors animæ est. Quæstio igitur est quis sit sensus Ioannis apostoli per hæc verba. Nam cõ-

tra

tra primũ ſenſum militant verba ipſius textus, dum dicitur, Qui ſcit fratrẽ ſuum peccare. De finali ſiquidem impœnitentia non poteſt aliquis dum viuit ſcire quòd peccat huiuſmodi peccato: ſed ſolum poſt mortem poteſt ſciri quòd peccauit finali impœnitentia: quoniam quãdiu viuit poteſt pœnitere: ac per hoc nõ eſt adhuc finaliter impœnitens. Et propterea de hoc peccato non eſſet dicendum, Qui ſcit fratrẽ ſuum peccare: ſed qui ſcit fratrẽ ſuũ peccaſſe. Cõtra ſecundum verò ſenſum (iuxta quem ſolummodo peccatum veniale eſt peccatũ non ad mortem) militant duo verba textus. Primũ quum dicitur: & dabitur ei vita. nam peccãs ſolũ venialiter, non eget vt detur ei vita: quũ habeat ipſam ſpiritalem vitã per charitatẽ, quæ ſtat cum peccato veniali. Vnde ex hoc quòd dicit, & dabit ei vita peccanti non ad mortẽ, ſignificat quòd talis peccans non ad mortẽ, eget vita: vtpote non habẽs illam, ſed expectans vt detur ſibi: quod non conuenit peccato veniali, ſed mortali. Secundum, quum dicitur, Non pro illo dico vt roget quis. Nam hinc ſequeretur Ioannem non dicere vt rogetur pro peccantibus mortaliter: cuius contrarium Dominus docuit, Orate pro perſequentibus vos. & fecit, orans pro crucifixoribus: & Stephanus orauit pro lapidantibus. conſtat autem hos omnes peccaſſe mortaliter, & non eſſe rationabile vt Ioannes euangeliſta diſcordet à doctrina & exemplis Chriſti & ſanctorum: diſcordaret autem, ſi timeret orandum eſſe pro irretitis peccatis mortalibus.

AD hoc dicitur quòd quum ſermo omnis niſi per ſe intelligatur, incertus ſit (vtpote vagus per accidentia) per peccatum ad mortem intel-

ligendum est peccatum quod per se machinatur ad mortem animæ : hoc est ex intentione abijcit vitam animæ, vt quum quis ex intentione non curat de salute animæ suæ, de paradiso, & huiusmodi. Dico autem ex intẽtione, propter eos qui non ex huiusmodi intentione, sed ex consuetudine deliciarum & luxuriarum, ex consuetudine vsurarum, & sic de similibus, viuunt tanquã non curãtes de salute animæ suæ: tales enim non ex intentione peccant contra vitam animę suæ, sed ex passionibus, infirmitatibus &c. Intendit ergo Ioannes euangelista differentiam inter peccatores ex contemptu propriæ salutis peccantes, & inter alios qui ex ignorantia, aut passione & huiusmodi incurrunt peccata mortalia. Et instruit Christianos, vt quum viderint aliquos peccare ex ignorantia, aut infirmitate &c. orent pro illis cum fiducia. quum viderint autem peccantes ex contemptu propriæ vitæ, non præsumant petere pro eis veniam, sed vel relinquãt eos in cursu suo, vel (vt Bernar. insinuat) gemant, si fortè diuina misericordia adijciat quod oratio nõ præsumit. Et bene nota quòd Ioannes non affirmat repellẽdam esse orationem pro talibus, sed non audet dicere vt orent pro talibus, tanquàm petitio videatur præsumptuosa. ait enim : non dico vt oret quis.

Et hic sensus consonare videtur non solum toti textui & contextui, sed etiam gestis Sanctorũ: nam Dominus orans pro crucifixoribus, adiecit causam ignorantiæ: Quia nesciunt quid faciunt. & Paulus pro quo exauditus fuit Stephanus, testatur se misericordiam consecutum, quia ignorans fecit.

Vnde patet quòd neuter quæsitorum sensuum

est

est intentus ab Apostolo, sed iste quem diximus, cui omnia consonare videntur. Hæc de tertio.

CIrca quartũ Apoc. iij. Vtinam esses frigidus aut calidus: sed quia tepidus es, nec calidus, nec frigidus, incipiam te euomere ex ore meo: quia dicis quòd diues sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu miser es & miserabilis, & pauper & cæcus, & nudus. ambiguitas occurrit ex quadruplici capite. Primò, quia inconueniẽs manifestũ est attribuere alicui sancto angelo desyderiũ mali culpæ: ac per hoc non consonat illi dicere, vtinã esses calidus aut frigidus: nam per esse frigidũ, intelligitur alienum manifestè esse à toto charitatis igne. Secundò, quia non consonãt hęc duo sibijnuicẽ, scilicet tepor & feruor arrogãtiæ: & tamẽ in litera vtrũq; dicitur hũc episcopũ habere. nam primò dicitur, quia tepidus es. & deinde subiũgitur: dicis quòd diues sum & locupletatus, & nullius egeo. vbi superbiæ feruor magnus notatur, quũ falsò sibi arroget diuitias &c. Tertio, quia aliud est ex tepore, aliud ex ignorantia peccare: nam tepor ad infirmitatẽ animi spectare videtur: & propter ea mirũ est quòd in litera iste dicitur tepidus, & deinde subditur eius ignorantia, dum dicitur, & nescis quia miser es, & miserabilis &c.

Quarto, quia nulli debet imputari defectus non solum inculpabilis, sed impossibilis euitari. nullus (inquit Philosophus) imperabit cæco nato. Sed hominem in hac vita nescire se esse absque charitatis gratia, est defectus & inculpabilis & ineuitabilis. nullus enim scit an odio vel amore dignus sit: vt dicitur Ecclesiast. ix. Inconuenienter ergo arguitur iste quòd nesciat se miserum &c.

AD hoc dicitur, quòd homo iſte vltimò deſcriptus de quo eſt ſermo, habet ſecundũ planum literæ ſenſum conditiones quatuor. Prima eſt, eſſe extra charitatem: quæ ex eo habetur quòd deſcribitur miſer, miſerabilis, pauper & cæcus ſecundum veritatem. Secunda eſt, eſſe tepidum: quæ clarè patet in litera. Tertia eſt, æſtimare ſe diuitem, locupletatũ, & nullius egere. Et hæc etiam clarè patet in litera. Et ponitur cauſa tepiditatis: quoniam cum coniunctione cauſali in litera ponitur, dicendo, quia dicis quòd diues ſum &c. Quarta eſt, neſcire ſe eſſe miſerum & miſerabilem, pauperem, cæcum & nudum. Et hæc quarta conditio ſimiliter ponitur concauſa tepiditatis: dum continuatur in textu cum antedicta cauſa ſub eadem cõiunctione cauſali: vt patet intuenti. Ex quibus omnibus colligitur huiuſmodi hominem abundare multis ac donis ſiue naturalibus, ſiue gratuitis, & multis bonis operibus: ita quòd primum iſtius peccatum apparet ſuperbia de multis bonis quæ in ſe recognoſcit. Et ſi ſingula diſcernimus, iſtius hominis oculus adeò perſpiciebat bona quæ in ſe erant, vt erraret & ſuperbiret. Erraret quidem, quoniam ex bonis ſecundum quid, æſtimauit ſe bonum ſimpliciter: hoc eſt, ex donis & bonis operibus quibus abundabat ſine vera charitate, æſtimauit ſe etiam charitatem & illius dona habere. Hoc enim ſonant verba ſua, dum interiori verbo dicebat, Diues ſum, & hoc quò ad dona tam naturæ quàm gratiæ, locupletatus ſum, & hoc quò ad bona opera & ſtudia. & nullius egeo, & hoc vniuerſaliter quò ad dona quæcunq; neceſſaria: ita quòd æſtimabat ſe nullo amplius dono egere, & tamen falſum erat; quoniam carebat

rebat charitate & gratia gratum faciente. Superbiret autem, quoniam bonis illis quæ habebat, seipsum magnificabat. nam dicebat: ego sum diues, ego locupletatus, ego nullius egeo: quum vir rectus debuisset dicere, quia fecit mihi Dominus magna qui potens est &c. & Deũ, nõ se magnificare, nec vnquam prorumpere in tam temerariam æstimationem quòd nullius egeret. Nec intelligo hunc esse tanta elatum superbia, vt ex intẽtione superbiret (quoniã iam esset in numero non tepidorum, sed frigidissimorum) sed quia per modum superbientis & tali æstimationi innitentis se habebat: quod vt clarius patebit, facit hominem tepidum. Erat quoq; huic superbæ ac falsæ æstimationi annexum alterum peccatum negligentiæ: nam cum hac æstimatione negligebat iste discutere interiorem dispositionẽ animæ suæ quò ad mala pœnæ attestãtia malum culpæ. Nesciebat enim se esse miserum, miserabilẽ, pauperem, cæcũ & nudum: quæ sunt mala pœnæ attestantia malum culpæ. Et fomentum huius negligentiæ quãuis ex litera non habeatur, nisi antedicta superba æstimatio, videtur tamen esse incertitudo charitatis: ita quòd ex hoc quòd nõ potest homo scire certa cognitione se habere gratiam gratũ facientem seu charitatem, neglexit perscrutari antedicta mala sua: tanquam eiusdem rationis sit cognoscere habere se bona gratiæ & charitatis, & discutere huiusmodi mala. quod tamen non est verum: nam etsi homo nõ potest cognoscere in se esse donũ charitatis infusæ, potest tamen discernere an sit pauper, & cæcus: paupertas enim consistit in penuria operum interiorum similium operibus interioribus charitatis: puta si habebat interiorem

actum pœnitentiæ, si interiorẽ actum gratitudinis, si reuerentiæ & tremoris in Deum, si misericordiæ in proximos, si humilitatis in seipsum. Similiter de visu, si videbat eo modo videndi de quo scriptum est: Ad videndum in bonitate electorum tuorum. vident enim electi in bonitate, propria quidè bona, vt Dei: propria verò mala culpæ, accusando se, corrigendo, puniendo: propria verò mala pœnæ æquanimiter tolerando, bono aliorũ gaudendo, malo aliorũ cõdolendo &c. quo contrà cęci videntes in superbia cordis sui, proximos videt iudicãdo seu cõtemnendo, bona eorũ paruifaciẽdo, mala eorũ accusando, indignãdo &c. bona quæ habẽt vt sua magnificãdo, mala quæ habẽt excusando &c. huiusmodi enim paupertatẽ, cęcitatẽ & nuditatẽ virtutũ his annexã potest homo si vult diligẽter in se discutere & cognoscere. Et in hoc iste homo defecit: neglexit enim huiusmodi mala pœnæ in se discutere, & sic nescivit seipsum miserum &c. Ex his autem duobus (superbia scilicet & negligentia) consurgit in homine quædam confidentia, quasi manendi in statu in quo stat. Ex eo enim quòd æstimat se abundantem in bonis, & nescit miseriam status sui, quasi securus incedit: etiam inde naturaliter procedit affectus tepidus ad dona gratiæ gratum facientis habenda. Et propterea homo iste ponitur tepidus ex his causis: scilicet quia dicebat, diues sum &c. & nesciebat se esse miserũ &c. Huiusmodi autem dispositio tepidi animi vtinam non frequẽs inueniatur in ijs, qui putãtes se in gratia Dei esse, negligunt discutere interiorem animi sui dispositionem quò ad penuriã interiorem actuum virtutum & interioris visus animi. Signum autẽ tepidi videtur esse non

progre

progredi seu non augeri in interioribus actibus virtutum infusarum.

Et licet ex recitatis in hac litera appareat iam hunc esse verum literæ sensum, solidior tamen sensus iste apparet ex subiuncto cõsilio exhibito in textu isti homini, dum suadetur ei in remedium studium emendi aurum ignitum &c. In emendo siquidem duo inueniuntur contraria tepori. Alterum est, appretiare seu magni æstimare id quod est emendum. alterum est, exhibere pretium æquale rei emendæ. Et primum quidem spectat ad animum, secundum autem ad exequutionẽ operis. Quæ ideò tollunt teporem, quia tepidus non æstimat donũ gratiæ tanquàm emendum, nec studet in exequutione exhibere opera quasi æquiualentia ad gratiam: ad quæ tatem duo maximè debet assurgere tepidus, & vt summè magnificiat (quo caret) gratiæ donum, & vt omni conatu exerceat se quasi ad cogendum Deum: vt det sibi gratiam. Secundũ quoque remedium quod adiungitur, idem testatur ad causas tepiditatis relatum. nam quia & malè videndo bona quæ habet, & non videndo mala quæ habet, tepidus effectus est: medicina pro oculis ei offertur, qua impedimenta videndi tollantur: inter quæ præcipuum est superbia, quæ collyrij vnctione tollitur, si à CHRISTO discimus quia mitis est & humilis corde.

AD obiecta igitur ordinatè respondendo, dicitur dupliciter posse accipi metaphoram hanc de calido & frigido, & tepido. Primò, intelligendo per calidum manifestam charitatem, & per frigidum manifestam iniquitatem, per tepidum verò medium: qualis descriptus est, qui sibi videtur bonus, & tamen est malus. Et iuxta hunc

sensum optat angelus magis frigidum quàm tepidum, non vt meliorem, sed vt faciliorem ad resipiscendum: qui enim cognoscit se esse malum, facilius correctionem suscipit, quàm is qui putat se esse bonũ, & quasi tutus tepet. Secundò, referendo metaphoram totam ad gustum seu sumentem. Et iuxta hunc sensum tam frigidus quàm calidus bonus est: nam & calida libenter sumimus: & similiter frigida libenter sumimus. solum autem tepidum abominabile est, vtpote vomitũ causans. Et sic optans angelus, Vtinam esses calidus aut frigidus, optat bonum. Vtinam esses sicut cibus aut potus habilis ad sumendum: vt est alimentũ calidum, & alimentum frigidum. Et hic sensus magis consonat literæ: pro quãto parabola hæc ad hoc tendit, vt solũ tepidũ abominabile dicatur, tãquàm vomitiuum. Vnde patet nihil mali per hæc verba optari ab angelo.

Ad secundam obiectionẽ dicitur quòd in isto homine tepido esset feruor superbiæ & arrogantiæ, si ex intentione superbiret ad hoc vt se diuitem, locupletatum, & nullius egentem magnificaret. sed iste tepidus nõ ex intẽtione sic superbit, sed ex modo se habendi: quandoquidem sic concidit in ijs quæ habet, tanquam iudicans se locupletem, diuitem, & nullius egẽtem. Videtur enim quædã superbia sicca magis quàm superbiæ feruor: & propterea non inde apertè malus, sed tepidus effectus est. Ad tertiam dicitur quòd tepor & ignorantia possunt subordinari: ita quòd ambo possunt diuersimodè causare peccatum: tepor immediatè, ignorantia mediatè. Sic autem est in proposito: ignorantia enim propriæ miseriæ cõcausat teporem, quo deinde peccatur. Nec ista simultas contrariatur diuersitati

cau

causarum peccandi, scilicet ex ignorantia vel infirmitate: quoniam illa diuersitas intelligitur secundum causas proximas: quando scilicet causa proxima est infirmitas, non ignorantia, aut econtrario. Secus autem est quum infirmitas circa vnum actum subordinatur ignorantiæ alterius rei præcedentis: vt patet esse in proposito. Ad quartam dicitur quòd huic tepido non imputatur nescientia doni charitatis in seipso, sed ignorantia propriæ miseriæ: quæ non est solum euitabilis, sed valde culpabilis: vt patet ex dictis. Hæc de quarto.

CIrca quintum Apocalypsis vltimo, Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui iustus, iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc. difficultas ex triplici capite occurrit. Primò, de veritate: quia vtraque pars progressus, scilicet tam malorum quàm bonorum falsa videtur: nam multi hodie mali, cras boni: vt patet de Paulo & latrone &c. & similiter multi hodie boni, cras mali: vt patet de Nicolao, Salomone &c. Secundò, de decentia: quia hæc verba sunt angeli alloquentis Ioannem: indecens autem videtur vt angelus sanctus dicat, Qui in sordibus est, sordescat adhuc. multò magis quàm indecens fuerit iudicium inferre blasphemiæ in diabolum: quod tamen non est ausus Michael archangelus, vt Iudas in epistola sua dicit. Tertio, de concessione temporis: nam Deus nemini dedit spatium malè operandi (vt dicitur Ecclesiastici decimoquinto) imò vt Esaias dixit, propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri. Quomodo ergo nunc angelus tempus propinquum

quum denuntians dicit : Qui nocet, noceat : & qui sordet, sordescat: tanquam concedens malis tempus peiora faciendi.

AD hoc dicitur, quòd literalis sensus horũ verborum ad præscitorum & prædestinatorum conditionem, ac tempus vsque ad iudicium tendere videtur. Ad cuius euidentiam prænotãdum est angelum more humano allocutum esse Ioannem in fine Apoc. monendo eum ne claudat librum Apocalypsis, assignando pro ratione, quia tempus prope est. Consueuimus siquidem quando in aliud tẽpus differenda est lectio libri, claudere librum reseruando ipsum ad tempus oppor tunum : quando verò tunc imminet tẽpus vtendi libro qui inuenitur apertus, dicimus, ne claudas librum, quia iam instat tempus vtendi illo. Sic Angelus Ioanni scribenti Apocalypsis librũ dicit : Ne signaueris librum hunc, quia tempus instat exequendi ea quæ sunt scripta in illo. Et notanter ex parte instantis temporis ad vniuersale iudicium, reddit rationem non sigillandi librum : duo nanque exequendorum genera in Apocalypsi reuelata sunt. Quædam adimplenda in tempore : & sunt quæ fient vsque ad diem iudicij. Quædam adimplenda in æternitate: & hæc sunt quæ fiẽt post diem iudicij. Et quoniam illa quæ fient in æternitate, distantia multum videntur, ideò Angelus ex parte temporis & eorum quæ in tempore fiunt reddit rationem non sigillandi librum : vtpote quia tempus iudicij instat, & exequẽda in tempore iam sunt. Et hoc denotauit dicendo, Tempus enim propè est. & dicit absolutè tempus : quoniam tempus ad iudicium, & tempus absolutè æquiualent : quoniam post iudicium non erit vltra tempus ; iuxta illud:

lud: lurauit per viuentem in secula seculorum, quòd tempus non erit vltrà. Et ad declarandum quòd propinquum sit tempus iudicij, subiungit quasi epilogando totum quod interim agendum est: scilicet quòd adimplenda sunt præscitorum demerita, & prædestinatorum merita: vt ex his paucis adimplendis perpendatur breuitas temporis ad iudicium. Omnia enim quæcunque vsque ad diem iudicij agenda sunt, in his duobus consistere videntur. Significauit autem Angelus hæc duo per proposita verba: scilicet qui nocet, noceat adhuc &c. Quod vt facilius clariusq; percipiatur, nota in his verbis mysteria septem.

Primum est, quòd tam in hominibus bonis quàm in malis præsupponitur initiū: & apponitur terminus per modū progressus perseuerātis. Præsupponitur quidem initium dicendo, qui nocet, qui in sordibus est, qui iustus est, qui sanctus est: manifestè enim per modum præsuppositi hæc dicuntur: illa de malis, ista de bonis. Apponitur verò terminus, dicendo, noceat adhuc, sordescat adhuc, iustificetur adhuc, sanctificetur adhuc. Et apponitur per modum perseuerātiæ, quia sola perseuerantia & in malis damnatur, & in bonis coronatur. Per modū quoque progressus, quia in vitæ termino & mali si possent adderent ad malum, & boni adderent ad bonum. Ex hac igitur ordinatione literæ intelligimus mysterium hoc quòd de præscitis & prædestinatis est sermo: qui ex præsuppositā prædestinatione & præscientia procedit, dum in malis ex præsuppositō primo quasi effectu reprobationis, scilicet prima præsciti iniquitate, & in bonis primo prædestinationis effectu, scilicet prima prædestinati iustitia, ad progressum termini vltimi

timi in malo quò ad præscitos, & in bono quò ad prædestinatos extenditur sermo: ita quòd sensus est, Qui præscitus est nocens aut in sordibus, impleat mensuram iniquitatis suæ: & qui prædestinatus est iustus aut sanctus, adimpleat mensuram iustitiæ suæ. Secundum est, quòd in ordine malorum, solius iniquitatis: & in ordine bonorum, solius bonitatis mentio fit: vt clarè patet. Hinc enim per malos, præscitos, & per bonos, prædestinatos intelligimus: quia Ezechiele teste didicimus quòd Deus obliuiscitur omniũ iniquitatum quas fecerat, qui conuersus in bono perseuerat vsq; in finem, & similiter omniũ bonorũ quæ fecerat, auersus & perseuerans in malo vsque in finem. Tertium quoq; ad hoc idem mysterium est, quòd licet in isto decursu temporis vsque ad iudicium interueniat diuersitas bonorum & malorum secundum præsentẽ gratiam vel nequitiam, vt patet: nulla tamen de hac diuersitate hîc mentio fit: quia huiusmodi diuersitas non remanebit iudicanda, sed sola diuersitas quæ est secundum bonitatem prædestinatam, & malitiam præscitam simpliciter. Quartum est ex modo loquendi, dum nõ enuntiando per verbum indicatiuum (non enim dicitur, nocebit, sordescet, iustificabitur, sanctificabitur) sed per verbum imperatiuum noceat, sordescat, iustificetur, sanctificetur, exprimitur huiusmodi progressus perseuerãs siue in bono siue in malo. Hinc enim ordo diuinæ præscientiæ ac reprobationis & similiter prædestinationis insinuatur. nam inter primum peccatum præsciti & posteriora hæc est differentia, quòd primum est tantummodo permissum: posteriora verò sunt & permissa & ordinata in pœnã prioris: iuxta illud ad Rom. j.

propter

propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum &c. Et propterea de posterioribus peccatis tãquam de speciali modo subiectis ordinationi diuinæ, imperando ordinem ac tolerãtiam eorum dicitur, fordescat & noceat. De bonis autem prædestinatorum clarum est quòd non solum sub ordine, sed etiam sub efficientia diuinæ prædestinationis denotantur. Apparet quoque in vtrisque denotari per hoc mensuram eorundem. nam & diuina prædestinatio definiuit vsquequo merita prædestinatorum progredientur: & similiter diuina dispositio ordinauit vsquequo sustinebit in multa patientia seu tolerabit demerita præscitorum. Et hoc fortè denotant hæc verba determinata illo aduerbio, adhuc. Cum his quoq; omnibus retine quòd per huiusmodi loquendi modum, fordescat, noceat &c. humana libertas designatur: vt solemus dicere relinquentes aliquẽ in sua libertate, faciat, dicat &c. Quintum est diuersitas ordinũ tam in bonis quàm in malis. nam ponuntur duo ordines bonorum, ad denotandam disparitatem præscitorum inter se, alijs minus malis, & alijs peioribus existentibus. & similiter ad denõtandam diuersitatem prædestinatorum bonorum & meliorum. Mali siquidem denotantur per eos qui in sordibus sunt, peiores verò per nocentes. boni quoque notantur per iustos, meliores verò per sanctos. Quemadmodum enim paratæ sunt prædestinatis diuersæ mansiones in domo patris cœlestis: ita & præscitis in inferno diuersa tormenta parata sunt pro diuersitate demeritorum.

Sextum ex ordine quo reuelata dicuntur, sumi potest. Ex hoc enim quòd prius præsciti, & demum prædestinati positi sunt; intelligi

potest

potest ipse qui in rei veritate est ordo inter tolerantiam præscitorum & prædestinatos. nam tolerantur præsciti propter prædestinatos: iuxta illud, Nolite nocere terræ neq; arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Et rursus quum sancti martyres suspirarent ad diem iudicij pro corporum resurrectione, dictum est vt expectarent adhuc modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum suorum. ita quòd manifestè patet Deum tolerare malos donec impleatur numerus electorum: imò & ipsos præscitos & etiam dæmones ordinat Deus ad exercitium electorum, quibus omnia cooperantur in bonum. Septimum est continuatio horum verborum cum promissione aduentus celeris ad iudicium, dum cum nota copulationis & demonstrationis quasi præsentis subiungitur in persona CHRISTI. Et ecce venio citò: & merces mea mecum est reddere vnicuique iuxta opera sua. Ex his enim manifestum videtur quòd de præscitorum demeritis & prædestinatorũ meritis adimplendis & per CHRISTVM iudicandis est sermo in præsenti litera.

AD obiecta ergo in oppositũ ordinatè respondendo, dicitur verba hæc pro vtraque parte esse verissima, de præscitis & prædestinatis intellecta. nam & præscitus quisque impleturus est tandem suas iniquitates: & prædestinatus quisque tandem sua merita: quod per hæc verba significatur. Vnde non obstat varietas interpolationum secundum præsentem iustitiam vel iniquitatem: quoniam de termino præsens est sermo. Ad secundũ verò dicitur quòd aliud est dicere imprecatiuè, aliud est dicere ordinatiuè. Et quòd licet dedecẽs appareat quòd Angelus

lus imprecetur malum, non tamen dedecet illum dicere ordinationem mali, vt accidit in proposito: vt patet ex dictis. Ad tertium verò dicitur quòd licet verum sit Deum nulli dare spatium peccandi, formaliter intelligendo: hoc est quia nulli dat tempus ad hoc vt peccet: cum hoc tamen stat quòd suauiter regendo creaturas rationales relinquendo illas in manu consilij sui, permittat eas peccare: & in multa patientia sustineat post peccata nos perseuerare in illis. Sic autem est in proposito: in quo & plus adhibetur diuinæ bonitatis, pro quanto etiam in peccatis bonum ordinis sui adhibet. Propter quod non solum permissiuè, sed ordinatiuè cõcessum est tempus peccandi: materialiter tamen intelligendo respectu peccati. Concessit enim Deus tempus non vt peccaretur, sed quò quæ fiunt peccata ordinarentur, & in bonum cederent electorum. Hæc de quinto. Budæ in die sancti Vincentij confessoris.

M. D. XXIIII.

NONVM IENTACVlum: in quo quatuor declarantur.

CCVRRVNT nonò quatuor declaranda. Primum Matthæi xix. Erunt duo in carne vna. itaque iam non sunt duo, sed vna caro.

Secundum Matt. xxj. & Luc. xx. Qui ceciderit super lapidem istum, cõfringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum.

Tertiũ Lucæ xiij. Ite, & dicite vulpi illi, ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio &c.

Quartum. j. ad Corinth. vj. Omnia mihi licẽt: sed non omnia expediunt &c.

CIrca primũ (scilicet, Erunt duo in carne vna: itaq; iam nõ sunt duo, sed vna caro) difficultas occurrit ex duplici capite. Primò, de qua carne est sermo: an scilicet de carne cõiugum inter se: an de carne cõiugum in sua prole. Nam contra primum sensum militat veritas: quia non est vna numero caro coniugum: sed quantumcunq; iungantur, semper remanent duæ: quoniam non continuantur, sed solo tactu iunguntur. Contra secundum verò militat requisita sufficiẽtia: quia licet verum sit ꝙ coniuges sunt duo in vna carne prolis, hoc tamen non sufficit ad verificãdam Domini sententiã: nam ad verificandã rationem Domini inferẽtis: Quod ergo Deus cõiunxit, homo non separet: exigitur illius carnis vnitas, ex qua sufficienter inferatur inseparabilitas coniugum.

gum. Cõstat autẽ ꝙ ex vnitate carnis prolis non sufficiẽter infertur inseparabilitas coniugũ: qm̃ cõiuges nõ habent hanc vnitatẽ anteq̃ vxor sit grauida, vt patet. ac per hoc separabiles essent cõiuges steriles,& etiã antequàm vxor sit grauida: quia nõ sunt adhuc duo in carne vna prolis.

Secũdò, de quali vnitate est sermo: an de vnitate coniugali, an de vnitate carnali. Nam si de carnali intelligitur, sequeretur quòd etiam forni cantes essent inseparabiles, quia effecti sunt caro vna carnaliter. Si autem de coniugali est sermo, obstat Apostolus j. ad Corinth. vj. vbi ex allegato testimonio Geneseos, Erunt, inquit, duo in carne vna, dicit: Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur.

AD hoc dicitur ꝙ sermo est de carne ipsorum cõiugum,& de vnitate numerali carnalis generationis principij perfecti ac iusti: ita ꝙ sensus est, ꝙ erũt duo in carne vna: hoc est in vno carnalis generationis perfecto iustoq̃ principio. Et quidẽ ꝙ interueniat hic vnũ carnale generationis principiũ perfectum, clarè patet: nã licet mulieris & viri sint duæ carnes,& singulæ sint duo partialia principia generationis: ambæ tamẽ cõcurrunt ad integrandum vnum numero completum generationis principium. Quòd verò hoc vnum carnale perfectum principium sit etiam iustum in coniunctione coniugũ, ex eo patet, quòd inter coniuges & fornicarios hæc est differẽtia, quòd in fornicariè se commiscentibus inuenitur hoc tantum, scilicet quòd integrãt vnũ completum generationis principium, sed nõ inuenitur alia conditio, scilicet iustitia, hoc est ꝙ illud principium sit non solùm cõpletum, sed iustum: in coniugibus autem coniunctio fit ad integran-

dum non solùm vnum perfectum, sed etiam iustum generationis principiũ. Vnde & in Genesi vbi primò ponuntur hæc verba, præmittitur, Adhærebit vxori suę. & subiungitur, Erunt duo in carne vna. per nominatam vxorem significãs ꝙ de iusta vnitate loquebatur dicendo: erunt duo in carne vna. Et Dominus tam Matth. xix. quàm Marci x. intulit in neutro genere, Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. & non in masculino genere, Quos ergo Deus coniunxit. per illud enim denotauit vnum iustum generationis principium quod Deus coniunxit in coniugio. Propter quod signanter ponitur Deus author coniunctionis istius. Coniunctio siquidem viri & mulieris quatenus iusta, à Deo est singulariter, tanquàm ab institutore ipsius. Et quidem in plantis perfectum generationis principium vnum natura coniunxit, faciens in vna planta virtutem vtriusq; sexus: in animalibus verò vnum generationis completum principium appetitus animalis coniunxit, trahens ad commixtionẽ maris & fœminæ. In hominibus quoq; vnum generationis principium perfectum appetitus carnalis facit: vt patet in fornicarijs, adulterinis, & incestuosis cõmixtionibus. Sed quòd completum generationis principium vnum sit etiam iustum, fecit Deus instituendo in humano genere coniugium. Et propterea infertur, Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

Et per hoc patet respõsio ad vtrũq; ambiguitatis caput, & solutio omnium obiectorum, nisi obiectionis allatæ ex Apostolo. Ad quã dicitur ꝙ Apostolus ibi vsus est illa authoritate quãtum ad id quod est materiale in vnitate coniugij: hoc est quantũ ad ipsam corporum commixtionem,

qua

qua fit vnũ perfectũ generationis carnalis principiũ. hoc enim sufficiebat suo proposito. & non quantum ad totum quod in illis verbis Geneſis comprehenditur. Vnde non obstat integritati totius sensus. Hæc de primo.

CIrca secundum, Omnis qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, cõteret eum: difficultas occurrit, an huiusmodi diuersitas significet diuersam grauitatem peccatorum, an diuersam grauitatem pœnarũ: hoc est iuxta primũ sensum denotetur diuersa grauitas peccati infidelitatis ex vna parte, & aliorum peccatorũ ex alia parte: vt per cadẽtes super lapidẽ denotentur alij peccatores: per eos verò super quos cadit lapis, denotẽtur infideles.

Et cõtra hunc sensum militant duo. Primũ est, quia agricolæ cõtra quos directè hæc verba dicuntur, nõ peccabant in fide, imò dixerunt: Hic est hæres. Secũdo, quia j. Pet. ij. inter cadẽtes super lapidẽ cõputantur infideles: dum ibi dicitur de CHRISTO: Et lapis offensionis & petra scãdali ijs qui offendũt, nec verbo credũt. Iuxta secundum verò sensum denotetur differentia inter pœnas præsentis vitæ, & futuræ: ita q̃ confractio cadentium super petram, denotet pœnam præsentis vitæ: contritio verò seu comminutio eorum super quos cadit lapis, denotet pœnas æternas. Et hic sensus extra propositum appareret: pro quanto de pœna agricolarum præsentis temporis Dominus loqui videtur, dicens: Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti &c.

AD hoc dicitur quòd verba ista vtpote metaphorica assumpta à Domino, pro magna parte ex viij. cap. Esa. multipliciter exponi possunt. videtur tamen mihi ad literam tendere hãc

metaphoram ad diuersam grauitatē pœnarum: ita quòd metaphora consistit in similitudine patientium diuersimodè à lapide. dupliciter enim contingit pati nos à lapide: vel quòd impingendo seu ruendo cadamus super lapidem: vt contingit tam ambulantibus cadentibus super lapidem, quàm ruentibus ex aliquo loco cadendo super aliquem lapidem: vel quòd lapis cadat super nos: vt contingit quum proijcitur vel demittitur super nos lapis. Vtroq; enim modo quum patiamur à lapide, minus patitur cadens super lapidem: & hoc designatur per confractionem, dum dicitur: Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur. magis autem patitur super quem cadit lapis, & hoc designatur per comminutionem, dum dicitur, Super quem verò ceciderit, comminuet eum. magis enim patitur qui comminuitur, quàm qui frangitur.

Vult ergo Dominus docere, q̄ licet peccando in ipsum CHRISTVM qui significatur per lapidem, incurratur pœna: maior tamen pœna incurritur ab ijs super quos CHRISTVS ipse iratus est. Et reuera nulla est maior pœna quàm sit CHRISTI ira tam in hac vita quàm in futura. Quum enim Deus iratus est, ita q̄ in furore suo punit, indurat cor subtrahendo gratiā: punit etiam & tēporaliter & æternè etiā pœna sensus: vt patet in Herode & Iuda &c. Et hoc directè videtur ad propositum Saluatoris, qui contra scribas & pharisæos intendebat declarare eis acerbitatem pœnæ quam ipse erat eis illaturus, & in hac vita puniēdo eos per Romanos tam acerbè, & in inferno. Nec obstat quòd de ereptione regni fiat sermo: quoniā dupliciter puniendi erant agricolæ, scilicet tollēdo ab eis vineam, & alijs

locan

locando (quod spectat ad translationem regni à Iudæis in gentes) & malos malè perdendo: quod spectat ad punitionem Iudæorum per excidium à Romanis in præsenti vita, & ad damnationem æternam in futuro. Et hæc videntur vera ad literam quantum ad illos.

Extendēdo autem sententiā hanc ad omnes, quia Dominus extendit eam ad omnes, referente Euangelista quòd vniuersaliter dixit, Omnis qui ceciderit super lapidem &c. significari potest eadem sententia, scilicet quòd offendentes CHRISTVM non erunt impunes: verumtamē nisi sint tales super quos cadat furor CHRISTI vt lapis comminuens, erit plaga eorum curabilis: nam illi super quos CHRISTVS cadit induràns eos, incurabiles sunt, vtpote comminuti. Hæc de secundo.

CIrca tertiū (scilicet verba Domini de Herode tetrarcha: scilicet, Ite & dicite vulpi illi: ecce ejcio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die cōsumor, verūtamen oportet me hodie & cras & sequenti die ambulare: quia nō capit prophetam perire extra Hierusalem) quæstiūculæ occurrūt tres. Prima, quorsum tendant hæc de Herode verba: quū in euangelio non legatur quòd ipse insidiatus fuerit CHRISTO Domino: sed potius ꝙ desyderabat cū videre, quòd gauisus est ipso viso, quòd interrogauit eum in multis sermonibus, quòd spectabat aliquod signum videre fieri ab eo, quòd nihil morte dignum in causa ipsius iudicauerit.

Secunda, quid sibi vult replicata hæc distinctio per tria tempora, hodie, cras, & tertia die.

Tertia, quid significatur per illa verba, quia nō capit prophetā perire extra Hierusalē: quum

latina constructio nullam videatur habere significationem. nunquid deerant vocabula Lucæ euangelistæ ad significandum quòd oportebat CHRISTVM mori in Hierusalem?

AD hæc breuiter dicitur quòd Herodes ideò vulpes appellatus est à Domino, quia dolosè incedere videbatur. Et verè intentionem occidendi CHRISTVM videtur habuisse: quamuis postea videns illum despexerit, & non curauerit occidere illum, vtpote non æstimans ipsum sicut æstimauerat Ioannem Baptistam. Nam si tanti fecisset illum sicut Ioannem, eandem habuisset de eo sententiam quam habuit de Ioanne propter eandem causam, scilicet concursum populorum ad prædicationem eius.

Apparet autem dolositas Herodis ex euangelio tripliciter in simulatis signis. Primò, quia ex vna parte volebat occidere Ioannem: ex altera parte contristatum se monstrauit, quum puella petijt in disco caput Ioannis Baptistæ: similiter ex vna parte libenter Ioannem audiebat: ex alia parte nolebat quòd prædicaret populo, sed incarcerauit ipsum. simili quoque modo ex vna parte deuinxit ipsum in carcere & occidit propter Herodiadem: ex altera parte explebat intentum suum de occidendo Ioannem propter concursum populorũ: vt Iosephus testatur. Vnde Dominus audiens quòd Herodes volebat ipsum interficere, & videns intima cordis Herodis, meritò appellauit ipsum vulpem: vtpote occultè in mente sua insidiãtem vitæ ipsius Domini. quod ex subiunctis verbis quæ referenda dixit Herodi, colligi facilè potest.

Vnde ad secundam quæstiunculam dicitur, quòd Dominus & perfectionem operũ suorum primò,

primò, & modum perficiendi opera ſua ſecundò, non obſtante quacunque Herodis doloſitate, in hac iterata temporum diſtinctione declarauit. Nam primo tria vniuerſalia opera ſe perfecturum declarauit: ſcilicet eiectionem dæmoniorum: & in hoc clauditur expulſio malorũ. perfectionem ſanitatum: & ſub hoc clauditur collatio bonorum, & ſacrificium mortis ſuæ: in quo eſt myſterium æternæ vitæ &c. Deinde modum quo prædicta perfecturus erat (ſcilicet ambulando) aperuit: quia ad literam diſcurrebat CHRISTVS eijciendo dæmonia, conferendo ſanitates &c. Vtrunq; autem diſtinxit per tres dies, ad ſignificandum totum tempus ordinatum ad hæc perficienda, & ad modum perficiendi adimplendum. ternarius enim perfectionem ſignificat. & rurſus principium, medium, & finis, perfectionem ſignificant. hodie autem principium, cras medium, & tertia dies finis eſt. Et ipſa quidem opera abſolutè ſibi Dominus attribuit dicens, Ecce eijcio dæmonia &c. modum verò perficiendi cum nota neceſsitatis ſignificauit, dicẽs, oportet me ambulare. vt & ſuam voluntatem & neceſsitatem implendi diuinam præordinationem ſignificaret. definierat ſiquidem Deus vt Dominus IESVS diſcurreret prædicando tanto tempore, & in Hieruſalem occideretur, non ab Herode, ſed à Pilato. Ad tertiam quæſtiunculam dicitur quòd conſtructio literalis inuenitur ſi ly Hieruſalem ſit nominatiui caſus, & ordinanda ſic eſt litera: quia Hieruſalem non capit prophetam perire extra: hoc eſt, quia Hieruſalem non recipit, non eſt capax huius gratiæ: ſcilicet prophetam perire extra. Tanquam diceret, quòd Hieruſalem tantam operam dat occiſioni

prophetarum, quòd non recipit vitationem huius mali, quod est occidere prophetas. vnde & statim Dominus subiungit, Hierusalem Hierusalē quæ occidis prophetas &c. assignās pro causa quare in tantum malū deuenerit ob suam obstinationē &c. vt patet in textu. Hæc de tertio.

Circa quartum, scilicet, Omnia mihi licēt, sed non omnia expediūt: omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate &c. ambiguitas duplex occurrit. Primò, circa primam partem: quoniam contraria implicare videtur, scilicet licita coram Deo, & non expedientia propter offensionem hominum qui inde impediuntur à bono. Nam si non expediunt ad bonum, iam non sunt licita: & si sunt licita, non impediunt à bono. Deinde circa secūdam partem: quia aut est sermo de redactione totali sub alterius potestate, aut de subiectione quò ad aliquem actum pro tunc. Si primo modo, sermo non videtur ad propositum. perinde est enim ac si dixisset: sed ego sub nullius ero perpetua potestate. quod ad nullum videtur propositū Apostoli in illo loco. Si secundo modo, superba videtur & stulta & impossibilis sententia: quum impossibile videatur hominibus conuersantibus hæc euitare. Nam sicut qui litigat, subijcitur pro tunc quò ad litem sub iudicis potestate: sic qui nauigat, subijcitur pro tunc quò ad nauigationem sub nautę potestate: & qui vestem conficiendam tradit artifici, subijcitur pro tunc quò ad actum illum artificis potestati. Quomodo ergo verificabitur hæc Apostoli sententia?

Ad hoc dicitur quòd in his sentētijs Apostolus prudentiam docere intendit circa opera licita ex suo genere; hoc est nulla lege sibi prohibita. Bt

ta. Et ex duplici capite docet abstinendũ quandoq; fore à licitis. primò ex parte finis: secundò ex parte operantis. Et si adiũxerimus quod ipse postmodum cap. x. docet, tertiò abstinendum est ex parte circunstantium. Et ex parte quidem finis dicit, Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. ex parte verò operantis dicit, Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. ex parte verò circunstantium dicit, Omnia mihi licent, sed nõ omnia ædificant. Ex fine siquidem ratio pendet eorum quæ ordinantur ad finem: ac per hoc ex fine discernuntur quæ impediunt, & quæ expediunt ad finem: atq; inde volentes finem consequi, eligenda decernimus quæ expediunt (hoc est quæ impedimenta tollunt, quæ vtilia sunt ad talem finẽ) & refutamus tam impedientia quàm inutilia, vtpote vana. Verbi gratia: licebat Apostolo viuere de euangelio: sed quia alicubi non erat hoc vtile ad finem intentum, scilicet fructum spiritalẽ prædicationis, abstinuit ab hoc licito. Ex parte verò operantis pensanda sunt valde quæ fiunt: quoniam multa decent vnum quæ dedecent alterum. Specialiter autem libertas seruãda est: vt scilicet homo non se obliget alicui, vnde postea detineatur vt non possit aut quasi non possit liberè exercere officium suum, aut quod decet ipsum facere vel omittere. Verbi gratia: licet vxorem accipere. sed quia per coniugium sub alterius potestate vterque coniunx redigitur, est quandoq; abstinendum à nuptijs: quando scilicet hinc homo detinetur, vt non possit studio aut arduo alicui negotio vacare. Ex parte verò circunspectantium constat operationem moderandam vel omittendam quandoque esse; nam quamuis opus

sit licitum, si tamẽ inde offendũtur non malignẽ, sed infirmi, sed pusilli, abstinendum est ab illo opere: vt non scandalizentur, vt non ruant indè in peccatum aliquod. Verbi gratia: licet vesci quocunque cibo: quia omnis creatura Dei bona est: si tamen quandoque contingat aliquos ex qualitate aut hora cibi scandalizari, abstinẽdum est. Diligenter autẽ in omnibus licitis quæ quandoq; omittenda sunt, distinguendum est: quia dupliciter contingit omittẽda esse quæ licita sunt. Primò, quia in tali casu effecta sunt illicita ratione scandali annexi, tunc vel ratione nocumenti quod tunc emergeret, vel ratione otiositatis tunc occurrentis (hoc est quòd vanè fieret si fieret) & sic de similibus. Et in huiusmodi casibus sermo Apostoli intelligendus est de licito secundum se: ita quòd sensus est: omnia non prohibita, mihi licẽt secundum se sola considerata. cum hoc enim stat quòd ex adiuncto aliquo singulari accidente fiant illicita, vel ex parte finis, vel ex parte personę, vel ex parte spectãtiũ. Secũdò, quia melius est in tali casu omittere illa: ita quòd sermo apostoli sit de licitis non solum secundum se, verumetiam in casu illo occurrente. Et licet vtroque modo possint verba Apostoli glossari, si spectetur ad primam cuiuslibet sententiæ partem (scilicet omnia mihi licent) ter repetitam, si tamen ad subsequentẽ cuiusque partem spectetur, secundum sensum solum quælibet sententia sonat: dum solius melioris negatio contraponitur in singulis ad licitũ. In prima siquidem ait: omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: vbi negatur melius expeditionis bonum. Et non dixit, sed aliqua impediunt. vbi affirmaretur malum impedimenti. In secunda quoque

ait:

ait:omnia mihi licent,sed ego sub nullius redigar potestate:vbi negatur melius libertatis bonum.Et non dixit,sed ego sub nullo redigar peccato : vbi mala peccati seruitus opponeretur.In tertia demum ait : Omnia mihi licent,sed non omnia ædificant.vbi melius ædificationis spiritalis bonum negatur. Et non dixit,sed quædam destruunt seu scandalizant: vbi malum scandali opponeretur.Et propterea sententiæ istæ de licitis quæ ex consilio omittenda quandoque sunt, intelliguntur iuxta planum literæ sensum.

AD obiecta autem in oppositum respondendo, dicitur falsum esse quòd omnia non expedientia sunt illicita:imò falsum etiam est omnia impedientia esse illicita.multa enim sunt quæ impediunt à meliori bono fine,quæ tamen sunt licita:vt patet de coniugio impediente contemplari liberè quæ Domini sunt,& tamen est licitum:& sic de alijs. Ad aliã obiectionem dicitur quòd non refert intelligere hanc sententiam de perpetua vel temporali subiectione:quoniã sermo Apostoli non tendit ad euitandam omnem subiectionem, vt obiectio interpretatur , sed ad euitandam subiectionem siue simpliciter,siue pro tunc,quæ detineret ipsum à meliori opere. Nam si prudentia huius mundi renuit quandoque petere vel suscipere aliquod beneficium ab aliquo, ne inde quasi alligatus sit ad aliquid cõmittendum vel omittendum quod ipse intendit cõmittere vel omittere : multò magis prudentia Iesu Christi docet hominem abstinere quandoq; ab aliquo licito:vt liber totaliter sit ad ea quæ religionis aut sancti officij sunt.Experientia siquidem testari videtur,multa meliora bona omitti à religiosis,propterea quia non vsi sunt hoc Pau

li con

li consilio, Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate: sed alligauerunt seipsos particularibus beneficijs seu personis & inde detinentur & abstrahuntur à melioribus bonis. Hæc de quarto. Budæ die nona Aprilis.

M. D. XXIIII.

DECIMVM IENTACULUM: in quo quatuor tractantur.

OCCVRRVNT decimò tractanda quatuor apud Ioannem euangelistam.

Primum. Ioan. v. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.

Secundum quoque Ioannis v. Quomodo vos potestis credere, qui gloriã abinuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis? Tertium Ioan. xiiij. In domo patris mei mansiones multæ sunt: si quò minus, dixissem vobis: quia vado parare vobis locum.

Quartum est Ioan. xvij. Et nunc clarifica tu me pater apud temetipsum claritate quam habui prius quàm mundus fieret apud te.

CIrca primum (scilicet, Si ergo testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum) dubium occurrit ex duplici capite. Primò, quia conditionalis ista falsa videtur, siue antecedens demonstret CHRISTVM inquantum homo, siue inquantum Deus. Nam CHRISTVS non solum secundum diuinam naturam erat impeccabilis, sed etiam secundum humanitatem assumptam: ac per hoc secundum quamcunque naturam perhibeat testimonium de seipso, non potest mẽtiri: & consequenter testimonium eius erit verũ. cuius oppositum conditionalis ista significat. Et augetur dubitatio ex eo quòd ipsemet Dominus Ioannis octauo, quum

dixi

dixiſſet, Ego ſum lux mundi: & Iudæi opponerent ei, Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum. reſpondit Ieſus & dixit eis: Et ſi ego teſtimoniũ perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum. vbi clarè apparet dominum aſſerere contrariã cõditionalẽ.

AD hoc dicitur quòd ſimpliciter & abſolutè loquendo conditionalis ſecunda quam protulit Dominus Ioan. viij. eſt vera & aſſerenda: illa autem quæ ex Ioan. v. allata eſt, non eſt extendenda, ſed exponenda iuxta contextum ad præcedentia. Duo ſiquidem ante illa verba Dominus dixerat, ex quibus ſenſus intentus per hanc conditionalem accipi poteſt. Primum eſt, Non poſſum ego à meipſo facere quicquam. Ex quo ſumitur quòd in antecedẽte huius conditionalis ſubintelligitur ly à meipſo: ita quòd conditionalis eſt iſta: Si ego à meipſo perhibeo teſtimonium de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum. Et ſic conditionalis verificatur: quia ſi à ſeipſo non poteſt facere quicquam, non poteſt quoque à ſeipſo perhibere teſtimonium verum de ſeipſo. & ſi à ſeipſo teſtimonium perhiberet de ſeipſo, teſtimonium eius non eſſet verum: vtpote contrarium origini veritatis: quoniam ipſe non eſt ex ſeipſo. Et eſt iſta conditionalis de genere illarum quarum tam antecedens quàm conſequẽs eſt impoſsibile: vt ſi leo volat, leo habet alas. & ſimiles. Simili quoque modo verificatur dicta conditionalis, ſi exponatur iuxta ſecundũ quod præmiſerat Dominus ibidem: ſcilicet quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me. Hinc enim ſubintelligitur in antecedente dictæ conditionalis ly quærens voluntatem aliam quàm eius qui miſit me; ita quòd

condi

conditionalis est ista: Si ego quærendo voluntatem aliam quàm eius qui misit me, testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum: quia quærendo aliam voluntatem quàm patris, cõtrariaretur veritati: & sic testimonium suum non esset verum. Sed sic etiam conditionalis est vera: & tam antecedens quàm consequens est impossibile. Illa autem conditionalis quæ dicitur Ioan. viij. glossa non eget: quoniam vt sonat vera est: & dupliciter ibi à Domino probatur. Primò, quò ad veritatem in se: scilicet quòd testimonium eius verum est secundum rem, dicendo, Quia scio vnde venio, & quò vado: hoc est, quia ex certa scientia totius progressus mei loquor: scio enim vnde veni, à principio, à patre, ab æternitate &c. & quò vado, ad patrem, ad cœlũ &c. Quia enim quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur: ex certitudine suæ scientiæ probat Dominus testimonium suũ esse verum. Secundò, quantum ad sufficientiam legitimam: quia in lege vestra scriptũ est quòd duorum hominum testimonium verũ est: ac per hoc multò magis verum est testimonium æterni filij & patris. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso: & testimonium perhibet de me qui misit me pater. Potest quoq; accipi & tertia probatio quò ad veritatem præsumptionis ex subiunctis verbis Domini in eodem cap. Ego gloriã meam non quæro, sed honorifico patrem meum &c. Præsumi siquidem potest testimonium de seipso falsum, propterea quia homo quærit proprium bonum seu propriam gloriam. sed vbi homo bona dicit de se (vt Christus prædicabat se Deum) & propriam non quærit gloriam, non est locus præsumptioni aut suspicioni quòd testimonium

eius non sit verum. Et propterea omnia colligendo, amplectimur simpliciter & absolutè veram esse hanc conditionalem, scilicet si ego testimonium perhibeo de meipso, verũ est testimonium meum. est siquidem verum & re & lege, & præsumptione. Re quidem, quia sic esse scio: lege autem, quia duo testes: præsumptione verò, quia non propriam, sed patris gloriam quæro. Et per hoc patet solutio obiectionum.

Circa secundum, Quomodo potestis credere, qui gloriam abinuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis? dubitatio occurrit ex duplici capite. Primò, circa primã partem, Quomodo potestis credere, qui abinuicem gloriam accipitis? Nam aut est sermo de fide informi: & sic experientia testatur in multis Christianis quòd credunt, & tamen abinuicem gloriam accipiunt, ponendo vltimum finem in gloria. Si verò est sermo de fide formata charitate, apparet sermo Domini per accidens: nam omne peccatum mortale tollit charitatem: & gloria non directè opponitur charitati, sed odium. Vnde qua ratione obiectum est peccatum vanæ gloriæ ad impediendum fidem formatam: pari ratione quodlibet aliud peccatum obijci potuit: & maiori ratione obijci potuit peccatum aliquod directius oppositum charitati: vt inuidia, odium, discordia. Circa secundam deinde partem, scilicet, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis, duplex difficultas occurrit. Prima: quia nulla videtur gloria quæ à solo Deo sit: quum etiam gloria filiorum Dei sit non à deo solo, sed à Deo & alijs: iuxta beatæ virginis verbũ, Beatam me dicent omnes generationes. & in Psalm. sancti dicunt de seipsis: Tunc dicent inter gen-

tes,

tes, Magnificauit Dominus facere cum eis. Secunda difficultas est: quia quærere gloriam quæ à solo Deo est, non spectat ad amorẽ Dei, sed ad amorem propriũ. non enim hoc spectat ad amorem amicitiæ, sed ad amorem concupiscentiæ, qua homo concupiscit sibi bonũ gloriæ. Et propterea etiam si homo quæreret gloriam quæ à solo Deo est, quum per hoc proprium bonũ quærat, non euaderet difficultatem seu admirationem de fide formata charitate, quæ est amor amicitiæ ad Deum. Vndique ergo obscura apparent hæc Domini verba.

AD hoc dicitur posse duplicem sensum habere illa verba, Qui ab inuicem gloriam accipitis. Primus est: qui accipitis humanam gloriã, vt finem ex intentione præstitutum. Et iuxta hunc sensum duo maxima impedimenta fidei opponuntur. Alterũ positiuum: scilicet inanis gloria. Alterum priuatiuũ: scilicet non quærere gloriam cœlestem. Et inanis quidem gloria fidei impedimentum præstat, & ex parte principij: quoniã oportet credentẽ intellectum captiuare in obsequiũ Christi. qui autem humanã gloriam quæritat, non se subijcit, sed exaltare studet vt habeat vnde glorificetur. Et ex parte termini. fides enim est sperandarum substantia rerũ. Qui autem mercedem suam constituit in gloria humana, ad illius fastigium tendit: non ad sperãda quæ per fidem promittuntur.

Non quærere autem gloriam cœlestis patriæ, maximum fidei impedimentum est: quia tollit motiuum ad credendum. Veniſſe siquidem ad fidem homines propter amorem cœlestis gloriæ quã audierunt promissam credentibus, non opus est probare. & similiter perseuerare homines in

fide ob ſimilem amorem, conſtat. Et poteſt iuxta hunc ſenſum intelligi dominica hæc ſententia de fide tam formata quàm informi. Et ſi de formata fide intelligitur, ſenſus eſt: Quomodo vos poteſtis credere? quaſi diceret: Nullo modo poteſtis vos credere fide viua, qui finem veſtrum habetis in gloria humana, & cœleſtem non quæritis. Si verò de fide informi intelligitur, ſenſus eſt, Quomodo poteſtis credere? quaſi diceret: Difficile aut malè poteſtis credere, qui humanam gloriam habetis pro fine &c. Secundus autem ſenſus eſt, Qui abinuicem gloriam accipitis. hoc eſt, qui delectamini in gloria humana. Et iuxta hunc ſenſum principale impedimentum fidei ponitur priuatiuum: hoc eſt non quærere gloriam cœleſtem: ita quòd principalis vis impedimenti conſiſtit in hoc quòd non quæritur cœleſtis gloria. Et delectari in humana gloria vt ſecundarium impedimentum appoſitum hîc eſt, & ad maiorem confutationem eorum: nam ex hoc quòd delectamur de gloria humana, reprehenſibiles magis ſumus quòd non quærimus gloriam cœleſtem. Si enim ab appetitu gloriæ alieni eſſemus, quaſi excuſabiles eſſemus à fidei impedimento: ſcilicet quòd non quærimus gloriam, quæ à ſolo Deo eſt: vtpote qui de nulla gloria curam haberemus. ſed vbi nos appetitores ſumus gloriæ, & ea gloria quæ ſecundum quid eſt gloria (qualis eſt humana) delectat nos: confutamur ſi eam quæ vera & ſimpliciter gloria eſt non quærimus: qua fides habetur & ſeruatur. Erit ergo ſenſus: Quomodo vos poteſtis credere, qui delectamini gloria humana, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis? Et poteſt exponi tam de fide viua quàm mortua: vt ſuperiu

expo

expositum est : hoc est,nullo modo quantum ad fidem viuam:& difficile vel malè quantum ad fidem mortuam . Nam aut cum difficultate aut debiliter fides ab ijs haberi videtur propter supradictas rationes.minus tamen difficile & similiter minus malè ab ijs fides informis haberi potest quàm à prius dictis,qui ex intentione gloriam humanam præstituerunt sibi finem . Nam qui ex huiusmodi intentione ad gloriam humanam anhelant:aut non credunt, aut vix credũt: qui verò ex passione ad gloriam humanam trahuntur:debilitantur in fide,eoipso quòd seipsos extollunt : quoniam fides in subiugatione suiipsius consistit. Ad intuendum autem qualiter sermo Domini est per se & non per accidens:distinguendum est de fide secundum se vel secundum suum motiuum:& similiter de oppositis fidei vel secũdum se vel ratione sui motiui. Nam licet fides secundum se sit in intellectu, quia tamen est in intellectu moto à voluntate:motiuũ ad fidem ex parte voluntatis se tenet. Et quia vt dicitur viij. Ethic. amabile quidem bonum:vnicuiq; autem proprium: voluntas affecta ad proprium bonum non quodcunque,sed cœlestis gloriæ est motiuum hominis ad fidem.Et huic motiuo clarè patet opponi priuatiuè seu negatiuè non quærere cœlestem gloriam: contrariè autem quærere inanem gloriam. Et propterea Dominus fidem ex parte motiui cõsiderans,ambo opposita iniecit, contrarium quidem dicens,qui abinuicem gloriam accipitis. priuatiuum verò dicens,& gloriam quæ à solo Deo est,non quæritis.

VNde ad obiecta respondendo dicitur quòd (vt patet ex supradictis) præsens sententia de fide,vtroq; modo,scilicet tam informi quàm

formata, potest intelligi. & quum obijcitur contra fidem informem, quoniam multi cum inani gloria habent fidem informem: iam ex dictis patet solutio, quòd si tales ex intentione habent inanem gloriam pro fine: vix habent fidem informem. si verò ex passione trahuntur ad inanem gloriã, sicut ex passione peccãt homines in alijs vitijs: male habẽt fidẽ, pro quanto debilitantur in habẽdo fidẽ, vt declaratum est. Ad id verò quod deinde obijcitur contra fidẽ formatã, quòd obijceretur impedimentũ per accidens, iam patet solutio, quòd scilicet est impedimentũ per se ex parte mortui ad fidem, & consequẽter ad charitatem per quam fides operatur. Ad primum verò contra secundã partem obiectũ dicitur trifariam inueniri gloriã. Aliqua nanque est gloria quæ est ab hominibus solis, hoc est non à Deo: vt quum laudatur peccator in desyderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur ab hominibus. Quædam verò est gloria quæ est & ab hominibus & à Deo: vt quũ commendamur de actibus virtutum. actus enim virtutũ approbantur à Deo, & laudantur ab hominibus. Quædam verò gloria est à solo Deo: & hæc est gloria filiorũ Dei per adoptionẽ. Quæ gloria dicitur esse à solo deo tripliciter. Primò, quò ad radicẽ gloriæ: quia à solo Deo est filialis adoptio, quæ digna est gloria. Secundò, quò ad notitiã in hac vita: quia solus Deus nouit qui sunt eius. Tertiò, subsãtialiter: quia gloria filiorum Dei consistit subsantialiter in hoc quod à Deo homo commendetur. Commendationem autem aliorum accidentaliter respicit: ita quòd si à solo Deo & à nulla creatura commendaretur, sufficit adoptionis filio. Et ex hoc capite videtur ad literã exponenda ista Domini

mini sententia, dum contra gloriã quæ est ab hominibus, gloriam quæ à solo Deo est opposuit.

Et ad hunc etiã sensum Paulus apostolus dixit, Non enim qui seipsum cõmendat, ille probatus est: sed quẽ Deus cõmendat. & nõ dixit, sed quẽ homines cõmendant: neq; dixit, sed quẽ Deus & homines cõmendant: vt doceret quòd in sola cõmendatione Dei cõsistit substantialiter gloria filiorũ Dei. Vnde cõceditur quòd gloria filiorũ Dei est etiam ab alijs, sed accidentaliter: à solo autẽ Deo substantialiter: sicut beatitudo sanctorũ substantialiter cõsistit in fruitione Dei: accidentaliter autẽ in societate aliorum sanctorum. Ad vltimũ autem de amore concupiscẽtiæ dicitur, cõcedendo quòd appetitus gloriæ quæ à solo Deo est, ad amorem cõcupiscentiæ spectat: quo homo cõcupiscit sibijpsi bonũ huiusmodi gloriæ cõsistentis in sola commendatione diuina: & quòd affectus iste licet nõ sufficiat ad charitatem quæ est amor amicitiæ ad Deum: sufficit tamen ad hoc quòd sit motiuum ad fidem & charitatem. Nam quum gratia perficiat naturam: & naturæ ordo habeat vt amicabilia quæ sunt ad alios, veniant ex amicabilibus quæ sunt ad seipsos (vt Philosophus dicit ix. Ethic.) consequens est vt huiusmodi gloriæ amor moueat & inducat ad fidẽ & charitatem: quæ ita facit hominem amicum Dei, vt faciat etiam eundem cõcupiscere sibijpsi hãc gloriam. Et quia Dominus de motiuo & conseruatiuo fidei ex parte nostri loquebatur: ideò de huiusmodi amore tam sanctæ concupiscentiæ locutus est hîc: qui paulò superius de amore amicitiæ erga Deum eisdem dixerat, Scio quòd non habeas dilectionem Dei. Hæc de secundo.

CIrca tertium, In domo patris mei mansiones multæ sunt. si quo minus, dixissem vobis: quia vado parare vobis locũ. quæstiunculæ tres occurrunt. Prima est, quid negatur per illa verba: si quo minus. Secunda est, quid est illud quod affirmat Dominus conditionaliter tamen se fuisse dicturum discipulis in illis verbis, dixissem vobis. Tertia est, quomodo Dominus vadit parare discipulis locum: quum ipse dixerit filijs Zebedæi parata esse electis loca à suo patre, dicendo, Sedere ad dexterã vel sinistram meam non est meum dare vobis: sed quibus paratum est à patre meo. Et rursus dixit se in iudicio dicturum: Venite, possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi. Quomodo ergo vadit parare, si iam parata sunt?

AD hoc dicitur sequendo sensum qui mihi videtur literalis, quòd per illa verba, si quo minus, negatur vnitas mansionis in domo cœlestis patris: ita quòd sensus est, Si non essent in domo patris mei multæ mansiones. Quas multas esse affirmauerat, ad declarandum discipulis quòd licet omnes habituri essent in domo patris sui: diuersas tamen sortituri essent habitationes in eadem communi domo pro diuersitate meritorum: vt hinc non desperarent de æterna beatitudine minus perfecti. Si enim in domo cœlestis patris vnica tantũ esset mãsio (hoc est vnicus esset gradus beatitudinis) oporteret in hac vitæ æqualia esse omnium sperantium beatitudinem merita: alioquin non possent pertingere ad illam vnicam mansionem: ac per hoc imperfecti qui ad æqualitatem perfectorum non ascendunt, non haberent locum in illa beatitudine: vtpote quibus non deberetur illa vnica mansio,

ille

ille beatitudinis gradus. Et propterea Dominus subiunxit, Dixissem vobis, hoc scilicet quòd in domo patris mei nõ est nisi vnica mansio: vt per hoc studeretis fieri omnes æquales in meritis. Magna siquidem consolatio est Christianis data ex hac Domini sentẽtia: In domo patris mei mansiones multæ sunt. quandoquidem & imperfectis & perfectis & magis perfectis, & breuiter omnibus diligentibus Deum quantumcunq; parum, certa data est spes suæ mãsionis: ita vt quilibet secundum sua merita inuenturus sit mansionem propriam in vna communi domo cœlestis patris. Et ad corroborandũ hanc spem, consolandaque diuersa discipulorum studia ac merita, non sufficit Domino affirmare in domo patris mei mansiones multæ sunt. sed adiunxit, si quo minus. hoc est si non esset sic: hoc est, si non essent multæ mansiones, sed esset vna tantum mansio: dixissem vobis hoc ipsum. Et dignatus est reddere rationem quare dixisset eis hoc: quia scilicet ex officio mihi incumbit: quia officium meum instat exercendum: scilicet quia vado parare vobis locum. Acsi apertè diceret: Ad me spectat significare vobis multitudinem vel vnitatem mansionum in cœlesti domo: quia vado parare vobis locum. Et propterea significaui vobis, quòd multæ sunt: & si non essent multæ, sed vna, significassem vobis. Et loquitur Dominus more humano. Ad præparatorem siquidem locorum spectat denũtiare venturis dispositionem mansionum suarum: vt præcipuè secundũ vnitatem vel multitudinem. Magna siquidem datur consolatio venturis, quũ prędicitur eis quòd quilibet habiturus est mansionem propriam in eadem cõmuni domo. Et per hoc patet respon-

ſio ad duas primas quæſtiunculas. Ad tertiam verò dicitur quòd licet præparatio cœleſtium manſionũ ab æterno fuerit ſecundum diuinam prædeſtinationem (iuxta verbũ Domini: Quibus paratum eſt à patre meo) & regnũ cœlorũ à principio mundi paratũ ſit etiam ſecundũ executionem inchoatiuè, pro quanto in ſanctis angelis inchoauit regnũ cœlorum cõmune eis & futuris hominibus electis: Dominus tamen IESVS quodam ſpeciali modo per mortem, reſurrectionem, & aſcenſionẽ ſuam, iuit ad parãdum nobis locum. Ex parte quidem noſtri: quia iuit ad tollendum impedimenta tam naturæ quàm perſonalia: & ad donandum nobis dona, quibus præparamur ad cœleſtes mãſiones. Nondũ enim erat ſpiritus datus (inquit Ioan.) quia IESVS nondũ erat glorificatus. Ex parte autẽ paternæ domus: quia aperuit ianuã felicitatis: & in poſſeſſionẽ poſuit genus humanũ ipſius cœli ſupremi. Et ſic diuerſimodè intelligẽdo, & manſiones paratæ prius erãt, & per dñm Ieſum præparãdæ adhuc alio ſpeciali modo reſtabãt. Hæc de tertio.

Circa quartum, ſcilicet, Et nunc clarifica tu me pater apud temetipſum claritate quam habui antequàm mundus fieret apud te. difficultas occurrit de re petita. Nam apparet implicationem fieri in hac petitione: quia petitur quod habetur, imò quod habitum eſt ab æterno. Petitur enim clarificatio filij apud patrem, quam filius habuit apud patrem ab æterno. Hinc enim difficultas conſurgit, quia petitio eſt rei non habitæ. Rurſus aut petitur clarificatio filij ſecundum humanam naturam, aut ſecũdum diuinam. Non ſecundũ diuinã: quia ſtulta videtur huiuſmodi petitio. Nullus enim niſi ſtultꝰ petit quòd

Deus

Deus sit Deus, aut quòd Deus sit omnipotẽs: & similia. Nec secundum humanam: quia falsum est quòd ipsa claritatem habuerit apud patrem antequàm mundus fieret: hoc enim competit filio secundum deitatem: vt patet.

AD hoc dicitur quòd sine dubio petit hic Christus Dominus clarificationẽ sui secundum humanam naturam. Et ad literam petit clarificationem resurrectionis, ascensionis & sessionis ad dexteram patris cum annexis vsq; ad diem iudicij exclusiuè: vt ex appositis duabus cõditionibus colligitur. Prima est, apud temetipsum: hoc est, da mihi gloriam apud te. hoc est gloriam consistẽtem in cõmendatione tua. talis enim est gloria CHRISTI vsq; ad iudiciũ. Apud Deum siquidem cõmendatur & glorificatur: apud homines verò partim blasphematur, partim parũ æstimatur. & si glorificatur fide, glorificatio ista in cõmendatione diuina cõsistit. Altera conditio est illud aduerbiũ nunc, denotans tẽpus præsens: quod tũc, scilicet à tẽpore mortis ipsius inchoauit, quũ cœpit triũphare de inferno. Ex his enim intelligimus quòd Dominus petit se secundum humanã naturam quantũ ad tẽpus præsens glorificari apud patrem, hoc est gloria cõsistente in cõmendatione ipsius Dei: hoc est (vt vno verbo dicatur) gloria spiritali: quæ in commendatione Dei cõsistit. Ad huiusmodi enim gloriam spectat quicquid habuit humana natura in Christo post mortẽ: & gloria fidei quam apud fideles habet in hac vita. A tempore verò iudicij erit tunc gloria extensa ad totum vniuersum, velint nolint inimici eius.

AD obiecta autem in oppositum dicitur quòd per claritatem habitam ab æterno, duo posſumus

sumus intelligere. Vel claritatem humanæ naturæ assumptæ à verbo: & tunc est sensus, Clarifica tu me pater apud temetipsum, ponendo in exequutione claritatem quam habui per prædestinationem antequàm mũdus fieret apud te: quia antequàm mundus fieret, apud Deũ erat prædestinata gloria humanitatis CHRISTI. Et iuxta hunc sensum confutat Dominus erroneam stultitiam illorum qui negligunt petere ea quæ prædestinata sunt à Deo, dicentes: Si Deus prædestinauit sic fore, nõ oportet me orare, non oportet me solicitari. Ecce Dominus CHRISTVS fatetur se scire prædestinatam sibi gloriam: & cum hoc orat vt prædestinata gloria mandetur executioni, docẽs nos hac sua oratione vt etiam si sciremus nos prædestinatos, oraremus & operaremur, ad hoc vt prædestinata executioni mandarentur. Possumus quoq; per habitam claritatem intelligere claritatem æternam ipsius filij Dei. & tunc est sensus, Clarifica tu me pater apud temetipsum, quasi extendendo ad humanitatem claritatem meam diuinam quam ab æterno habui. Et iuxta hunc sensum denotatur differentia inter glorificationem humanitatis CHRISTI, & glorificationẽ aliorum sanctorum, penes hoc quòd glorificatio cæterorum est ab extrinseco veniens: glorificatio autem humanitatis CHRISTI est velut ab intrinseco deriuatiua: quoniam deriuatur à propria gloria suæ personæ. Vnde Ioan. j. de verbo incarnato dicitur, Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à patre. quia gloria ipsius quæ apparuit, ex intrinseca gloria vnigeniti à patre emanauit. Petit ergo Dominus vt executioni mandetur hoc, scilicet quòd ex gloria sua æterna

na deriuetur gloria in ipsum secũdum humanam naturam nunc apud patrem, modo prius expositio. Et vterque sensus literalis est & verus, nec habet dissonantiam aliquam: quoniam licet secundum verba videatur peti quod habetur: secundum tamen sensum petitur alio modo habendum quod vno modo habetur: quia iuxta primum sensum petitur habenda gloria in executione quæ habebatur in prædestinatione. Iuxta secundum verò sensum petitur habenda gloria per deriuationem: quæ habebatur secundũ essentiam in eadem persona. Vnde non dixit, Claritatem quam habuit humanitas mea, sed quam habui ego. petit enim in se secundum humanam naturam deriuari gloriam, quam ipsemet habet secundum diuinã naturã ab æterno. Hæc de quarto. Budæ die xiiij. Aprilis

M. D. XXIIII.

VNDECIMVM IENtaculum: in quo tria tractantur.

OCCVRRVNT vndecimò tria occultiora tractanda. Primum est Ioan. x. quum Dominus Iudæis respondit: Ego dixi dij estis &c. Secundum est ad Philippenses ij. Qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est &c. Tertium est Apocal. iiij. Tu creasti omnia: & propter voluntatem tuam erant & creata sunt.

CIrca primum ambiguitas magna occurrit, cur Dominus quum dixisset se esse verum Deum, dicendo, Ego & pater vnum sumus: & Iudæi vellẽt ipsum propterea lapidare tãquam blasphemum, dicentes, Tu homo quum sis, facis teipsum Deum? cur inquam diuertit sermonem Dominus à deitate per essentiam, ad deitatẽ per participationem, afferendo Psalmum loquentem de viris excelsis, Ego dixi dij estis. Videtur enim ex hoc Dominũ voluisse occultare veritatem, qua dixerat se esse verum Deum, & reddere rationem quare non blasphemauerit: quia sacra scriptura attribuit Dei nomen etiã viris excelsis. Apparet siquidem quòd seipsum voluit intelligi Deum simili modo sicut illi quibus dicitur: Ego dixi, dij estis. Et hinc sequeretur Arriana hæresis, quòd CHRISTVS non se dixit verum Deum per essentiam dicendo, Ego & pater

pater vnum sumus, sed exposuit se esse Deũ per participationem inducendo hanc Psalmi authoritatem. Et augetur difficultas ex subiunctis verbis de seipso: scilicet, quem pater sanctificauit & misit ad mundum. Nam sanctificari alienum est à Deo per essentiam. filius enim Dei nõ est sanctus factus, sed est sanctus genitus. Et propterea affirmando se sanctificatum à patre, affirmat se factum sanctum à patre: ac per hoc non esse Deum per essentiam, sed esse sanctũ factum: sicut etiã Hieremiæ dictum est: Antequàm exires de ventre, sanctificaui te. Vndique ergo hæc Domini verba indecentia videntur, tunc maximè quando de eius deitate agebatur.

AD hoc dicitur quòd licet prima facie hæc Domini verba diuersiua videãtur, & ad condescendendum debilibus Iudæorũ intellectibus, aspicere impotentibus ad claritatem suæ deitatis, dicta à Domino: perspicacius tamen intuentibus apparet oppositum. nam per hæc verba Dominus & directè respõdet obiectioni Iudæorum, & seipsum amplius manifestat esse verum Deum. Ad cuius veritatis euidentiam, aduertendum est Dominum dixisse inueniri tripliciter communicatum Dei nomen. Primò, per originem, dicendo, Ego & pater vnum sumus. Secundò, per participationem diuini sermonis: dicendo, si illos dixit deos ad quos Dei sermo factus est. Tertiò, per gratiam vnionis personalis, dicendo, quem pater sanctificauit & misit in mundũ. Dominus nanq; noster IESVS Christus quatenus filius Dei est, verus Deus est per originem æternam à patre: quatenus verò filius hominis est, verus quoque Deus est per gratiam vnionis personalis naturæ humanæ assumptæ

ad

ad personam filij Dei: ita quòd per gratiã vnionis effectũ est vt homo vt filius hominis, vt IESVS Christus, esset verus Deus, iuxta verbum Apostoli ad Hebr. j. Tantò melior angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. cui enim dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu? Quia igitur Iudæi obiecerant CHRISTO quòd blasphemasset, propterea quia quum esset homo faciebat seipsum Deum: Dominus directè respondet nõ esse blasphemiam quòd homo sit Deus, intelligendo de Deo vero: quia per gratiam vnionis personalis ipse verus homo erat verus Deus. Et vt hoc possent intelligere, manuduxit eos per illos qui facti sunt dij per gratiam diuini sermonis: ita quòd cognoscendo homines inueniri deos per gratiam vno modo, ascenderent ad credulitatem quòd per gratiam excellentiori modo (scilicet per gratiam vnionis personalis) inuenitur homo Deus verus. Ex hoc enim quòd vterque modus quo homo est Deus, ad gratiam spectat: rationabiliter, conuenienter ac sapientissimè Dominus manuducebat Iudæos ex vno modo ad aliũ, ex inferiori modo ad superiorem, ex gratia multis communi ad gratiam singulariſsimam soli naturæ assumptæ à filio Dei cõcessam. Vnde & Dominus etiam in modo loquendi argumẽtatus est ab inferiori gratia ad superiorem, à cõmuni ad singulariſsimam dicens, Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, quem pater sanctificauit &c. insinuãdo ex differentia inter numerum pluralem & singularem, scilicet illos & quem: & ex differẽtia gratiæ (scilicet ad quos sermo Dei factus est, & sanctificauit & misit in mundum) rationem suam ascẽdere & procedere ab inferiori

gratia

gratia ad superiorẽ, imò ad supremã. Vbi etiam aduerte, ꝙ quia Iudæi dixerant, Facis teipsum Deũ: CHRISTVS respondet, quẽ pater sanctificauit, & misit in mundũ, attribuens quòd pater fecit, & quòd nõ ipse vsurpat sibi esse Deũ.

Verba autẽ illa, quẽ pater sanctificauit & misit in mũdum, ex duplici capite significãt gratiam vnionis personalis. Primò, ex vi illius relatiui quem, quod est relatiuũ substantiæ, & refert hypostasim. Inter sanctificationem siquidẽ aliorum hominũ & CHRISTI hominis hæc est differẽtia: ꝙ sanctificatio aliorum primò refertur ad animã, & mediante anima ad personã quæ sanctificatur: sanctificatio verò CHRISTI hominis primò terminatur ad personam. nam ex hoc ipso humanitas CHRISTI fuit primò sancta, quia facta est in hypostasi verbi. Et propterea de CHRISTO homine singularissimè dicitur, quẽ pater sanctificauit, hoc est personaliter sanctũ fecit. Et licet sanctitas illius personæ non sit facta in se, est tamẽ facta sanctitas illius naturæ assumptæ: sicut persona filij Dei est facta persona illius naturæ. Sanctificatus ergo singularissimè dicitur CHRISTVS homo: pro quanto sanctus factus est secũdum naturã humanã ex personalitate diuina. Et hinc patet quàm excellentior sit huiusmodi sanctificationis gratia quàm sit gratia sermonis Dei: ob quam scriptum est, Ego dixi dij estis. Et illa quidem gratia est allocutionis ad homines præexistentes: ista autem est ad constituendum substãtialiter hominem sanctum, hoc est hominem Deum: quoniam per antonomasiam sanctitas soli Deo attribuitur: iuxta cœlestem hymnũ, Sanctus, Sanctus, Sãctus Dominus Deus. Et ad propositum de CHRISTO dixit

angelus Luc. j. ad beatã virginẽ, Quod ex te nascetur sanctũ. Nec solùm verificantur hæc secundum rem, sed etiã seruata proprietate locutionis. Etenim sicut CHRISTVS verè dicitur sanctificatus ratione gratiæ habitualis in anima ipsius, ita verè dicitur sanctificatus ratione gratiæ vnionis personalis cõcessæ humanitati ipsius. Et quia hæc sanctificatio est & prior & potior illa, imò est causa illius (vtpote faciẽs hominẽ Deũ verũ in personã significata per relatiuum quem) ideo proculdubio de sanctificatione per gratiã vnionis hæc Domini verba intelligẽda sunt. Et quoniam profundus nimis est huiusmodi intellectus: ad quẽ Iudæi ascendere nõ poterãt, adiunxit bonus Dominus alterũ manifestũ caput vnde poterant huiusmodi vnionis gratiã percipere, addendo illud verbũ, & misit in mundum. Nam etiam si sanctificatio cõmuni modo acciperetur: ex isto adiuncto intelligeretur vna persona filij Dei & filij hominis. fuerunt siquidem multi alij sancti facti, sed nullus fuit cui cõuenerint hæc duo: scilicet q fuerit sanctificatus, & fuerit missus in mundum. Et nota bene ly in mũdum (hoc est in vniuersum, & nõ in mundum visibilem tantùm, sed simpliciter & absolutè in mundũ) quoniam qui mittitur in mũdũ, extra mundũ erat: extra quem solus Deus est. omnes enim res, partes sunt mundi, ac per hoc sunt in mũdo sicut partes in toto: excepta sola illa re quæ Deus est, quæ etiam secundum philosophos est bonũ extrinsecũ totius vniuersi: vt patet xij. Meta. Ex hoc igitur quòd vnusmet homo est ille quẽ pater sanctificauit & misit in mundum, etiam si sanctificatio communi modo intelligeretur, significatur q vnusmet homo est & verus homo & verus Deus: quatenus

sancti

sanctificatus, verus homo: quatenus missus in mundum à patre, verus Deus, ac per hoc in verbis istis significatur gratia vnionis personalis, qua factum est vt filius hominis esset filius Dei: qua manifestè excluditur & blasphemauit Dominus IESVS: qui quum homo esset, & filius hominis, dixit: quia filius Dei sum. dixit, ego & pater vnum sumus. Et sic manifestum est quòd Dominus non timuit perseuerare in confessione suæ veræ deitatis, nec diuertit sermonem ad deitatem per participationem: sed quum dixisset se verum Deum per essentiam (quod verificatur de ipso quatenus est filius Dei) aperuit Iudæis & nobis quòd etiam quatenus est filius hominis est per gratiam vnionis verus Deus. & ad hoc intelligendum manuduxit eos per illos qui dicti sunt dij per gratiam sermonis diuini. vnde non dedit Arrianis occasionem errandi, sed perscrutandi ad intelligentiam suæ doctrinæ. Et quòd hæc fuerit ad literam intentio Domini, manifestatur per subsequentia verba. nam hæc quæ dixit de identitate suæ personæ quòd erat vnus Deus & homo, statim probat subiungẽdo: si non facio opera patris mei, nolite mihi credere. si autem facio, & si mihi nõ vultis credere, operibus credite: vt cognoscatis & credatis quia pater in me est, & ego in patre. Vbi ex vnitate operationis suæ & patris, probat vnitatem substãtialem sui & patris, quam prædixerat. Vnde etiam Iudæi auditis his, quia intelligebant hanc Domini responsionem ad idem tendere quod dixerat (scilicet ego & pater vnũ sumus) propter quod volebant eum lapidare, non quieuerunt: sed his auditis, vt Euangelista dicit, quærebant eum apprehendere, sed ipse exiuit de manibus eorum.

Ex quo facto manifestius redditur quod diximus, scilicet quòd sermo Domini non erat ad diuertendum, sed ad manuducendum eos ad veritatem quam dixerat. Si enim fuisset diuersiuus sermo, non perstitissent vt apprehenderent eum, & lapidarent extra templum: vtpote persistentem in blasphemia. Et per hæc patet solutio ad quæsita omnia. Hæc de primo.

CIrca secundũ ad Philip. ij. scilicet, Qui quum in forma Dei esset, nõ rapinã arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinaniuit semetipsum formã serui accipiẽs: difficultas ex multis capitibus occurrit. Et primò quia impertinẽtia multa vidẽtur hîc apposita. Quum enim Apostolus intẽderet dicere CHRISTVM quũ esset Deus semetipsum humiliasse ad incarnationẽ &c. impertinẽs primũ videtur ꝙ æqualitatẽ ad Deum immiscеat: sufficiebat enim dicere: Qui quũ in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum &c. Rursus, Si æqualitas ad Deũ inserẽda erat: quorsum inseritur iudiciũ seu arbitriũ de æqualitate? Satis enim fuisset dicere: Qui quum in forma Dei esset, & æqualis esset Deo, exinaniuit semetipsum. Iterum, Si æqualitatis arbitrium interponendum erat: quorsum de non rapina sermo hîc. est: vbi ad humilitatis virtutem hortabatur Apostolus CHRISTI exemplo, non ad fugam vitiorum? Nec caret denique scrupulo quorsum Apostolus incarnationem appellauit euacuationem ipsius filij, dicẽdo, exinaniuit semetipsum, quũ nulla interuenerit euacuatio in hoc mysterio. Secũdò, magna est difficultas circa cõtextũ huius sermonis: nõ enim apparet ad quid respicit illa aduersatiua cõiũctio, sed quũ dicitur, sed exinaniuit semetipsum. videtur enim ꝙ debuisset

et dicere, & tamen semetipsum exinaniuit: quo niã ex hoc dicto, qui quum in forma Dei esset, nõ rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (quo dicto significatur ꝙ CHRISTVS cognouit non rapina sed natura esse se æqualem Deo) consequenter subiungendum erat, & tamen exinaniuit semetipsum: & non subiungendũ erat, sed exinaniuit semetipsum: quoniam nihil præmissum est, cui aduersetur ly sed.

AD euidentiam huius sentẽtiæ perspicere oportet prius intentionem & sensum: deinde ad verba descendere Apostoli. Intentio eius (vt ex contextu apparet) est exemplum humilitatis, qua superiores nobis inuicem nos arbitremur, ex CHRISTI actione afferre. præmiserat eñ, In humilitate superiores sibijnuicem arbitrantes. & subiunxit exẽplum de CHRISTO cum causali coniunctione dicens: Hoc enim sentite in vobis, quod & in CHRISTO Iesu.

Exẽplũ autẽ CHRISTI cõsistit in duobus. primò, in mysterio incarnationis, de quo nũc est sermo: deinde in mysterio passionis, de quo pòst subiũgit, humiliauit semetipsum. Ex mysterio autem incarnationis intẽdit Apostolus humilitatis exẽplũ afferre, assignãdo rationẽ quare CHRISTVS recognouit Deũ vt superiorẽ: & hoc dicẽdo seruit ꝓpositi suo, quo instruebat Philippenses vt in humilitate superiores sibijnuicẽ arbitrarẽtur. nã si Christus quũ sit Deus, arbitratus est Deũ superiorẽ sibi: tantò magis homo debet hominẽ superiorẽ sibi arbitrari. Et quoniã Christo Dño huiusmodi subiectio nõ conuenit ex natura (qm̃ ex natura æqualis est Deo) sed ex libero arbitrio quo voluit incarnari: ideo Apostolus mira subtilitate radices ex parte rei & intellectus, bu

militatis omnis & humilitatis istius singularissimæ incarnationis, in hac sententia tangit.

Quod vt clarius intelligatur, recolendum est quòd humilitas ex parte rei consurgit ex aliqua minoritate: ex parte autem intellectus consurgit ex cognitione & iudicio illius minoritatis. ex hoc enim arbitror aliũ mihi superiorem, quia in aliquo minor sum illo: & recognosco me in aliquo minorẽ illo: si enim essem minor, & non recognoscerem me minorem, non propterea essem humilis. Et per oppositũ si aliquam minoritatem habeo respectu alterius, & æqualem me illi facio seu iudico, rapinam cõmitto. rapio enim æqualitatem quam non habeo, quum sim minor. Et hinc amplius sequitur: quòd si nos superiores nobis iudicem non arbitraremur, rapinam committeremus, quia quilibet minor quum sit altero, æqualem saltem se faceret illi, ac per hoc raperet æqualitatem. Quibus prælibatis sensus Apostolicus est quòd Christus quum Deus esset, non ex iudicio rapinæ æqualitatis diuinæ, sed ex propria voluntate recognouit Deum superiorẽ, formam serui accipiens. Et per id quod dixit non ex iudicio rapinæ, excluditur primò omnis minoritas à filio Dei. Si enim minor in aliquo esset Deo, iudicium quòd esset æqualis Deo, esset iudicium per rapinã: ac per hoc quòd non ex iudicio rapinæ æqualitatis diuinæ incarnatus est, declaratur quòd non ex iudicio alicuius minoritatis in seipso, ac per hoc quòd non ratione alicuius minoritatis subiectus est Deo. Fuisset siquidem ex iudicio rapinæ diuinæ æqualitatis subiectus, si ex iudicio alicuius minoritatis in seipso subditus esset, arbitrãs (& meritò) rapinam, esse se æqualem Deo, quò minorem se cognosceret.

Sed

Sed non ex rapinæ iudicio, sed ex mera sua voluntate subiecit se Deo, formã serui accipẽs. Excluditur secundò omnis cautela rapinæ æqualitatis diuinæ, siue quãtum ad rem, siue quantũ ad effectum, siue quantũ ad æstimationem aliorum. Fuisset siquidẽ ex iudicio rapinæ huiusmodi incarnatus, si cauens ne Deo debitũ honorem vsurparet sibi, aut cauẽs ne in affectũ celsitudinis diuinæ veniret, aut cauens ne æstimaretur ab alijs Deus, formam serui accepisset. Sed omnis huiusmodi cautela excluditur ex hoc quòd non rapinã arbitratus est esse se Deo æqualẽ in omnibus & per omnia: hoc est hoc ꝙ non ex iudicio rapinæ diuinæ æqualitatis quomodolibet, sed spõtanea volũtate formã serui accepit. Et potest hæc sentẽtia causam denotãs subiectionis Christi ad Deũ, suã volũtatẽ, & non iudiciũ de minoritate aliqua in se cognita, adhuc duplicem sensum habere. Primus est, intelligendo per æqualitatẽ ad Deũ, æqualitatẽ intrinsecã. Et tunc est sensus: quòd Christus quum in forma Dei esset, nõ ex iudicio rapinæ diuinæ æqualitatis (hoc est non ex iudicio quo cognosceret se rapere diuinã æqualitatẽ: quia nõ ex iudicio quo se recognosceret in aliquo minorẽ patre, vt quia minor patre honorare voluerit patrẽ accipiẽdo formã serui) sed propria volũtate semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Alter sensus est, intelligendo per æqualitatẽ ad deũ, æqualitatem purã: hoc est æqualitatẽ non adiũctam seruituti. Et tũc est sensus, ꝙ Christus quũ in forma dei esset, non ex iudicio rapinæ æqualitatis purè (hoc est non ꝙ iudicauerit rapinã, permanere se in pura æqualitate ad deũ) sed propria volũtate adiũxit seruitutẽ æqualitati, dum exinaniuit semetipsum

formam serui accipiens. Et iuxta hunc sensum intendit dicere apostolus, quòd si Christus quum in forma Dei esset, voluisset permanere patri æqualis purè (hoc est æqualis sine adiuncta minoritate, quam per incarnationem sibi adiũxit) non commisisset rapinam, quoniã in forma Dei erat: hoc est, quia Deus verus erat. Et propterea non ratione alicuius debiti, aut defectus, aut minoritatis &c. sed sola voluntate semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: hoc est, facit se minorem, quũ esset æqualis, non minuẽdo æqualitatem, sed adiungendo æqualitati minoritatẽ.

Et hic sensus vltimus qui includit primum & addit, magis videtur amplectendus ad literam: quia saluat ad literam tum proprietatem vocabulorum, tum claritatem & facilitatem sentẽtiæ & exempli ad humilitatem. Iuxta hũc siquidem sensum filius Dei verè & propriè exinaniuit semetipsum: hoc est euacuauit personam suam, non aliquo intra suã personã contento, sed puritate æqualitatis ad patrẽ. nam vbi prius erat patri æqualis, & nullo modo minor, modò est æqualis & minor. Et signãter dixit semetipsum: quia ita suam personã filius exinaniuit hoc est euacuauit puritate æqualitatis, quòd non personam patris aut spirituſsancti euacuauit tali puritate. Spiritus enim sanctus æqualis patri ita est quòd nullo modo minor: & similiter pater ita est æqualis filio & spirituisancto, quòd nullo modo minor. Solus autẽ filius est qui est & æqualis & minor: quia semetipsum exinaniuit: hoc est, euacuauit puritate æqualitatis diuinæ, formam serui accipiens, hoc est adiungens æqualitati seruitutem.

Similiter iuxta hunc sensum sententia & facilis & clara est; vt decet epistolarem textum, &

præ

præcipuè in exemplis. Inuenitur siquidē accommodatū valde bene sic intellectū exemplum Iesu Christi ad humilitatē: ex hoc quòd quum esset Deus, & nosset quòd non esset superbiæ rapina permanere in diuina æqualitate pura, voluit propria volūtate suam personā euacuare puritate æqualitatis, adiungendo sibi seruitutē qua patrem superiorē haberet. Si ipse sic fecit, quantò magis nos (quos oportet arbitrari rapinam, esse nos æquales alijs: quia minores in aliquo sumus) debemus superiores nobis inuicē arbitrari? Rursus, satisfacere quoq; inuenitur hoc exēplū præcedētibus immediatè verbis: scilicet nō quæ sua sunt singuli cōsiderantes, sed ea quæ aliorū: quoniā hinc habemus quòd Christus Iesus quum esset filius Dei, nō quæ sua sunt, scilicet diuinam æqualitatem purā considerauit seruandā, sed ad salutem aliorum exinaniuit semetipsum formam serui accipiens. Et si altius scrutatus fueris, inuenies maximum humilitatis exemplū: quoniam quum in forma Dei esset, & secundum Dei formam nec haberet nec habere posset vllo modo superiorem, secundū verò personam non haberet quoque superiorem, nec habere posset superiorem seruata puritate æqualitatis: maluit euacuare suam personam puritate æqualitatis formam serui accipiendo, vt haberet superiorem, quàm in suæ æqualitatis puritate persistere. Propter quod formalissimè apostolus non dixit formam creatam, sed formam serui: vt æqualitati minoritatem seruilem adiunxisse intelligeres, non solum ad confundendam nostram superbiā, qua superiorem vilum, si fieri posset, nollemus, sed ad impellendum ad humilitatem, qua superiores nobis inuicē arbitremur, imò ad tam diu

vacãdũ humilitatis affectui, donec ſentiamus in nobis quod & in Chriſto Ieſu ſentimus: donec affectem? ob aliorũ bonũ ſuperiores alios nobis facere, cuacuãdo nos circundãtibus nos cõdignitatibus noſtris, & inferiorũ aut etiã ſubditorũ perſonas agendo, & ſi non ſemper extrà, ſaltẽ intus.

AD verba autem deſcendendo, dicitur quòd oportuit Apoſtolum meminiſſe æqualitatis dum tractaret de extremis, ſcilicet ſuperiore & inferiore (dixerat enim, ſuperiores ſibi inuicẽ arbitrantes.) æquale enim mediũ eſt inter maiorẽ & minorẽ. Oportuit quoq; de arbitrio æqualitatis loqui: dum de cauſa rationali, hoc eſt agẽte à propoſito tractabat. Rapinã quoq; inſeruit: quoniam rapina æqualitatis ita contrariũ humilitatis ſignificat, vt radicẽ humilitatis ſcilicet minoritatẽ oſtẽdat. Et ſcito quòd vt contextus planus literæ habeatur, negatio ſuper verbum conſtruẽda eſt: ita quòd litera ſic ordinetur: Qui quũ in forma Dei eſſet, non eſt arbitratus rapinam eſſe ſe æqualem Deo, ſiue æqualitate intrinſeca, ſiue æqualitate pura: hoc eſt, non ex iudicio rapinæ æqualitatis: ſed ſemetipſum exinaniuit (in quo clauditur quòd voluntariè ſe exinaniuit) formam ſerui accipiens. Et ſic aduerſatiua coniunctio habet cui aduerſetur, dum cauſa aduerſatur cauſæ: hoc eſt voluntas aduerſatiuè ponitur ad non iudicium rapinæ. verba enim hæc licet non per modum cauſæ inducantur quantum ad ſonum verborum, vt cauſas tamen continentia intelligenda ſunt. Et ſic intellecta, per aduerſatiuam coniunctionem cauſa affirmata, ſcilicet voluntas, contraponitur cauſæ negatæ: ſcilicet non arbitrio rapinæ æqualitatis: & ſignificatur quòd non ex iudicio rapinæ, ſed ſponte exina

exinaniuit semetipsum. Hæc de secundo.

CIrca tertium Apocal. iiij. Omnia creasti, & per tuam voluntatem erant & creata sunt: difficultas occurrit quo pacto verificatur hoc quòd omnia quæ Deus creauit, per suam voluntatem erant, & postea creata sunt. Dupliciter enim res dicuntur esse: vel in seipsis, vel in suis causis: sicut domus dicitur esse vel in seipsa quãdo est facta, vel in mente artificis antequàm fiat. Neutro autẽ modo verificari possunt hæc verba. Non de esse rerum in seipsis: quia tale esse non habent antequàm creatæ sint. in textu autem dicitur, erant & creata sunt. Nec de esse in arte diuina: quoniam creatura secundũ esse quod habet in Deo, est creatrix essentia, & est ipse Deus: iuxta illud Ioannis primo: Quod factum est in ipso, vita erat. ac per hoc non dependent secundum tale esse à voluntate Dei. & cõsequenter falsum est dicere quòd per voluntatem tuam erant: sicut falsum est dicere quòd ipse Deus est per voluntatẽ suam. debuit enim dicere, & per naturam tuam erant, aut saltem per intellectum tuum erant.

AD hoc dicitur quòd proculdubio sermo iste intelligitur de creaturis secundũ quòd sunt in mente Dei summi omnium artificis. Et quum obijcitur quòd creaturæ non sunt in mente Dei per voluntatem Dei, sed per naturam seu intellectum eius: respondetur quòd creaturæ dupliciter intelliguntur esse in ipso summo opifice. Primò, simpliciter & absolutè, vt effectus sunt in causa à qua produci possunt. Secundò vt effectus producendi sunt in causa. Et vt percipias hanc distinctionem, considera quòd præter creaturas productas & producendas, multa

sunt

sunt alia in diuina potestate quæ posset produce re, quæ tamen nũquam produxit nec producet. Et ex his eleua mẽtis oculos, & cõsidera Deum glorioſum in duplici ſigno naturæ, hoc eſt cõſidera primò ipſum ſecundũ ſe, hoc eſt non cõſide rata determinatione volũtatis eius ad producen dum aliquas creaturas: & ſic videbis omnes crea turas tam quandoq; productas ſeu producendas quàm nunquã productas ſeu producẽdas habere eſſe in Deo vt in cauſa potente illas producere. Et loquẽdo de tali eſſe creaturarũ in Deo, dicen dum eſt quòd ſunt in Deo per naturã, & nõ per voluntatẽ Dei: quoniã hoc cõuenit Deo ex ſua natura, & nõ ex libero arbitrio. Si verò cõſide res ipſum Deũ glorioſum deinde in ſecundo ſi gno (hoc eſt quũ voluntas ſua liberè determina uit ſe ad producendum: ita iſtas creaturas, puta quæ ſunt, fuerũt, ſunt, aut erunt in hoc mundo, quòd non alias, quæ nunquam fuerunt, ſunt aut erunt) videbis differentiã inter creaturas & crea turas in Deo: in hoc quòd quædã ſunt in eo ſo lum in potentia, quia ſcilicet poſſunt ab ipſo fie ri: quædã verò ſunt in eo nõ ſolum ſic, ſed etiam vt producẽdæ: & quòd creaturæ quæ ſunt in eo hoc ſecundo modo, ſcilicet vt producendæ, per voluntatẽ ipſius Dei habent hunc eſſendi modũ: quoniam ex libera Dei voluntate quaſi transla tæ ſunt de ordine poſsibiliũ abſolutè ad ordinẽ producendoiũ quandoq;. Et de creaturis ſecun dum tale eſſe Apocal. loquitur. Et verum dicit: quoniam per voluntatem Dei quæ creata ſunt, erant producibilia, quamuis per naturam Dei erant ſimpliciter poſsibilia. Et ſic creaturæ vt producendæ erant in arte Dei per ſuam volun tatem, & creatæ ſunt per eandem voluntatem.

Ad

Ad obiectionē autem in oppositum, quòd creatura in Deo est creatrix, essentia & vita &c. respondetur distinguendo, formaliter, vel identicè: hoc est quòd creaturæ in Deo secundum illam rem in qua sunt, nō sunt per voluntatē, quia sic sunt ipsa deitas: sed formaliter vt sunt producendæ, sunt per voluntatem: quemadmodū actus liberi arbitrij diuini formaliter est per diuinam voluntatē in Deo. nam quia vult, eligit: & idem ipse actus identicè (hoc est secundū rem quæ est) quia est ipsa deitas, per naturam est, non per voluntatem. Hæc de tertio. Budæ, die vigesima Aprilis. M. D. XXIIII.

DVODECIMVM IENtaculum: in quo quinque tractantur.

OCCVRRVNT duodecimò considerandā circa res gestas quinque. Primum, Luc. vij quo pacto mulier peccatrix stans lauerit pedes Domini lachrymis. Secundum, vnde constet ex Euangelio hanc mulierem peccatricem esse Mariam Magdalenam & sororem Lazari. Tertiū, Cur Marc. viij. Dominus cæcum illuminauit paulatim, ita quòd primò imperfectè, dum dixit, Video homines ambulantes sicut arbores. & secundò impositione manuum perfectè, vt clarè videret omnia. Quartū, Cur Paulus Apostolus tam j. ad Timot. iij. quàm ad Titum j. tradēs cōditiones requisitas ad Episcopum,

pum, tradit tantũmodo positiuas (puta sobrium, prudentẽ &c. & nunquàm meminit conditionis cõparatiuę: scilicet quòd sit dignior alijs. Quintum, Cur tentator Christi in prima & secunda tentatione dixit, si filius Dei es: in tertia autem hoc non dixit, sed ad maximum scelus ausus est CHRISTVM prouocare.

AD primũ horũ dicitur, quòd Lucas Euãgelista exuberantiã fletus & lachrymarũ in illa peccatrice descripsit ex hoc quòd nõ potuit cõtinere lachrymas, imò lachrymarũ profluuium, vsq; ad sui prostrationẽ ad pedes CHRISTI: sed tanta erat cõmotio ad fletũ, & affectus ad irrigãdum pedes lachrymis, vt adhuc stans, id est erecta profluuium lachrymarũ inceperit ad pedes emittere. Propter quod signanter Euãgelista non dicit quòd stans rigauit pedes eius, sed quòd stans cœpit rigare: significans per hoc incontinentiam & exuberantiam lachrymarum.

AD secundũ dicitur quòd ex Euãgelio Marci vlt. habetur Mariam Magdalenã esse illam de qua Dominus eiecerat septem dæmonia. Et quoniã Marcus ideò descripsit eam à septẽ dæmonijs, vt denotaret dignitatẽ hominũ peccatorum, qui ad Christũ conuersi sunt, per hoc quòd Christus mulieri olim tam peccatrici resurgens primò apparuit: cõsequens est vt per septẽ dæmonia intelligantur vniuersa vitia: vt Greg. optimè exposuit. alioquin nõ fuissent ex hoc peccatores dignificati. Nam vexari corporaliter hominem à septẽ dæmonijs, nõ est peccatũ, sed pœna: ac per hoc nõ fuisset denotata mulier peccatrix: sed mulier afflicta à dæmonijs. Quum itaq; Maria Magdalena cui CHRISTVS resurgẽs primò apparuit, sit illa quæ vniuersis vitijs erat subic

subiecta : & nulla alia legatur nisi illa quæ erat in ciuitate adeò peccatrix, vt etiã proprio nomine non meruit nominari : rationabilis valde apparet cõmunis opinio eandem dicens Mariam Magdalenam, & peccatricem apud Lucam. Et confirmatur ex eo quòd Lucas ipse post lachrymas mulieris peccatricis, sequenti capitulo ponens mulieres CHRISTI sequaces, ante omnes ponit Mariã Magdalenam : nominans eam iam CHRISTI pedissequam, cuius peccatricis nomen tacuerat. Simile enim quid fecit de Matthæo Euãgelista: dum sedentẽ ad telonium nominat Leui, quem postea in catalogo apostolorum nominat Matthæum. Firmatur quoque non solum eadẽ sententia, sed etiã quòd ipsa fuerit soror Lazari, ex verbis Ioannis Euangelistæ, dicentis de Maria sorore Lazari, Maria autem erat quæ vnxit pedes Domini vnguẽto. Ex tempore enim quo Ioannes hæc verba dixit, habetur ipsam fuisse, quæ olim vnxerat pedes Domini vnguento. nam per hæc verba descripta est ante resurrectionẽ Lazari, ac per hoc ante tẽpus cœnæ in qua Lazarus resuscitatus vnus erat ex discũbentibus ante sex dies Paschæ, quãdo Maria iterum vnxit pedes Domini. Ex quo enim Ioannes scripturus erat cœnã illam & vnctionẽ quæ ibi facta postea fuit, non erat soror Lazari describẽda per futurã vnctionem verbo præteriti temporis, scilicet vnxit : sed ad significãdum præteritam vnctionẽ, quam descriptã sciebat à Luca Euangelista, descripsit eam à præterito actu: vt ad quãtam gratiã sint peccatores à Christo admissi, significaret. Vnde & vtitur simili modo loquendi quo vtitur in descriptione aliarum personarũ ex præteritis actibus. Quũ enim

deseri

describit Nicodemũ sepelientẽ Christum, dicit quòd ipse est qui venerat primũ ad eum nocte. Et similiter quum describit Caiphã iudicantem CHRISTVM, ait: Erat autẽ Caiphas qui cõsilium dederat Iudæis &c. Ita quoq; de sorore Lazari dicit: Maria autẽ erat quæ vnxit pedes Domini vnguento, & extersit capillis suis. Constat enim quòd nulla alia pro tunc erat quæ vnxit pedes Domini, & extersit capillis suis, nisi peccatrix apud Lucã. Nec solum ex tempore, sed etiã ex loco idẽ confirmatur. Nam in eadem domo vtraq; vnctio facta insinuat eandẽ esse personam vngentẽ, cui cõmoda erat illa domus. Prima siquidem vnctio facta est in domo Simonis Pharisæi. Secunda quoq; in domo Simonis leprosi: quia Dominus curauerat eum à lepra, vt glossa dicit. Ex quo apparet, quòd tam commoda, imò & familiaris domus Simonis erat Mariæ sorori Lazari: vt fortè (quod etiã aliqui putant) in eadem domo sub diuersa tamen cõtignatione habitaret Maria Magdalena. Quod ex tribus elici quodãmodo potest. Primò, ex eo quòd domesticè videtur ingressa super cõuiuantes, quando primũ rigauit pedes eius, vt cognouit quòd accubuisset in domo Simonis Pharisæi, quasi nacta loci cõmoditatem. Secũdò, ex eo quòd quasi ad manũ habẽs dum cœnaretur ante sex dies Paschæ, accepit alabastrum vnguenti &c. Tertio, ex eo quòd in domo Simonis Martha ministrabat. Et confirmatur adhuc eadem sentẽtia ex fiduciali augmento familiarium tactuũ. Nam quum Dominus IESVS à mulierum conuersatione esset tam alienus, vt discipuli videntes eum loqui cum Samaritana, mirarentur quòd cum muliere loquebatur; credibile nõ est quòd

mulier

mulier aliqua ausa fuerit prima vice vngere caput ipsius: sed quòd mulier illa quæ prima vice pedes lachrymis lauit, & gratum suum officium fuisse experta est, dum audiuit propterea sibi dimissa esse peccata multa: post multum temporis animæquior facta ex multis sibi monstratis beneuolentiæ signis, & multis perceptis effectibus gratiæ spiritalis, tantum fiduciæ acceperit, vt iterum pedes & caput simul vnxerit: rationalis processus fiducię admittit, qui vsq; adeò excreuit, vt ad resurgentis Domini amplexum amoris ardor magnitudoq; lætitiæ incitauerit: quum prohibita est à Domino dicente, Noli me tangere. Quòd enim tunc in amplexum ruere volebat, insinuat primò ipsa Domini prohibitio: qui tamen non prohibuit eam osculari sibi pedes: quoniam scriptum est, Accesserunt & tenuerunt pedes eius. Attestari etiam dicitur incorrupta adhuc caro in sola fronte capitis eius perseuerans: vtpotè quam Dominus manu immortali tetigit, prohibens eam, Noli me tangere, hoc est enim signum quòd vultum suum Magdalena non ad terram versus pedes dirigebat, sed nescies quid faceret, ad amplexum. Et hæc dicta sint, vt percipiatur quòd vnamet persona fuit quæ primò pro remissione peccatorum lachrymis rigauit pedes eius: postea animæquior facta ad caput vngendum ascendit: & post resurrectionem ardens magistri amore in amplexus ruere voluit. huiusmodi enim fiduciæ progressus identitatem personæ monstrat. Et quum constet quòd Maria Magdalene fuit quæ fecit hunc vltimum actum: & ꝙ soror Lazari fuit quæ fecit penultimũ; & ꝙ peccatrix mulier quæ fecit primum; cõsequens ex hoc & tot alijs antedictis

est, vt ex euangelicis dictis credamus vnam & eandem esse Mariam Magdalenam, sororem Lazari, quæ erat in ciuitate peccatrix: vt Ecclesiasticum etiam officium testatur. Hæc de secundo.

AD tertium dicitur quòd ratio talis quasi imperfecti modi curandi fuit duplex, vna ex parte cæci: quia scilicet indispositus erat ad recipiendum subitam sanitatem perfectam: vt patet ex eo quòd ipse non rogabat pro seipso, sed alij rogabant pro eo. Hæc tamen causa non est sufficiens: quoniam legitur Dominum subitò curasse paralyticum submissum per tegulas, ad fidem aliorum, ipso paralytico tacente.

Vnde altera causa ex parte Domini simul cum prædicta concurrit: scilicet vt doceret nos miraculosa Dei opera non solùm esse quæ subitò perfectè fiunt: sed etiam procedendo de imperfecto ad perfectum. Et quidem cæcus ille ita erat dispositus, vt non esset capax perfectæ sanitatis vno ictu: sed paulatim sicut dispositio erat fidei & deuotionis, ita etiam paulatim sanitatis donum concessum est. Quod in paralytico non est obseruatum: quia ratio alia vrgebat: scilicet vt sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra hominibus dimittendi peccata.

Instruimur ergo ex hac per partes illuminatione cæci, recognoscere etiam diuinam gratiam, quum post votum emissum ob sanitatem consequendam, paulatim sani fimus, & similiter quum sanitatem animæ paulatim à Deo consequimur: procedentes de imperfecto ad minus imperfectum: & inde ad aliquam perfectionem: & inde ad aliam &c. Huiusmodi enim sanandi modum ex speciali gratia Dei procedere ex hoc

Domi

Domini facto instruimur: & non solùm ea quæ statim perfecta sunt opera diuino esse tribuenda miraculo. Hæc de tertio.

AD quartũ dicitur ꝙ Paulus Apostolus ad istius temporis Episcopos respexit, quãdo Episcopatus nõ erat honoris, sed oneris: nõ habebat annexum beneficiũ bonorũ temporaliũ, sed erat tãtùm superintẽdens spiritalibus, & tẽporalium per diaconos administrator. In impositione autem onerũ sufficit eligere idoneum ad tale onus sustinendum, & nõ oportet digniorem alijs præferre: quoniã ratio exigens conditionem cõparatiuam (scilicet ꝙ sit alijs dignior) fundatur super exhibitionẽ boni debiti: onus autem non claditur sub genere bonorũ, sub quo claudũtur honores, dignitates, beneficia &c. Sed hæc responsio licet vera dicat, non tamen satisfacit: quoniam Apostolus scripsit epistolas ad instruenda nõ solùm illa tempora, sed omnia succedentia. Similiter nõ satisfacit respõsio, dicens ꝙ locus ab authoritate negatiuè parum aut nihil valet: & sic per hoc ꝙ Paulus tacuit cõditionem comparatiuam, nõ potest deduci. ergo conditio comparatiua nõ requiritur. Deficit siquidem hæc responsio in proposito propter duo. Primò, quia Titus plus quàm legitimã excusationẽ habuisset erroris sui, præficiendo Episcopos dignos, & nõ adhibẽdo diligentiã vtrũ sit aliquis dignior. Nã Paulus Apostolus scribit ei ꝙ instituat Episcopos in Creta: & dat ei regulam circa cõditiones eligendorum ad Episcopatũ. nullus certè culpare posset Titum præficientem Episcopos iuxta regulam Pauli præcisè, ac per hoc non curantem de comparatiuis. potuisset enim semper dicere: feci iuxta regulam à te mihi traditã: tu in culpa es ĩ

insufficienter me instruxisti. Secundò, quia ipse Paulus Apostolus Act. xx. ait ad Ephesios in persona omnium quibus prædicauerat: Mundus sum à sanguine omnium. non enim subterfugi quò minus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Quomodo nanque omne consilium Dei annuntiasset, si tradẽdo regulã de eligendis Episcopis, tam necessariam conditionem tacuisset?

Dicendum ergo videtur quòd propterea Paulus Apostolus hanc cõditionem comparatiuam tacuit, quia per se loquendo non est necessaria. Dico autem per se: quia Episcopatus dupliciter cõsiderari potest. vel secundũ id quod conuenit ei per se: vel secundũ sibi annexa. Et siquidem consideretur secundum sibi annexa (scilicet superioritatẽ, honorẽ, dignitatẽ, beneficium ecclesiasticum) sic est in genere bonorũ. Et quoniam huiusmodi annexa sunt communia bona Ecclesiastica, & debita mẽbris Ecclesiæ vt distribuãtur illis: idcirco secundũ hæc exigitur conditio comparatiua: vt scilicet digniori maiora dẽtur. & oppositũ facere, est vitium acceptionis personarum. Et iuxta hoc intelligenda est doctrina dicentiũ quòd oportet in foro cõscientiæ eligere digniorem ad hoc, & non sufficit eligere bonum seu dignũ: quia vitiũ acceptionis personarũ est exhibere bona debita sic, vt minus dignus præponatur magis digno. Si verò cõsideretur Episcopatus secũdũ id quod cõuenit sibi per se, sic est in genere onerum: vt patet ex actu sibi proprio, qui est pascere oues & agnos Christi: iuxta verbũ Domini Ioã. vlt. hoc enim onerosum manifestè est, & purè onerosum. Propter quod Dominus voluit quòd Petrus ex amore quẽ haberet ad ipsum Dominum, subiret tale onus. Et

Pau

Paulus Apostolus docet dicēs, Qui episcopatum desyderat, bonum opus desyderat. non bonam dignitatem, non gradum, non beneficium, nō honorem &c. sed opus tantum, ac per hoc onus. vnde & merces operario debetur: iuxta illud Matthæi xx. Voca operarios, & redde illis mercedē. Nec obstat puritati oneris quòd pastorale officium gradum potestatemque superiorem per se supponit aut constituit: quoniam huiusmodi gradus ac potestas non concurrit vt bonum personæ quæ assumitur ad pastorale onus: quia non datur ei vt bene sibi sit, sed propter necessitatem aut vtilitatem ouium. Et vt vnico dicatur verbo, totum pastorale officium ordinatur per se ad bonum non pastoris, sed Ecclesiæ Christi: ac per hoc in genere non bonorum, sed onerum distribuendorum personis Ecclesiasticis, per se locatur. Considerando itaque Episcopatum per se, nulla apparet ratio quòd requiratur conditio comparatiua: nam ex parte personæ quæ eligitur, cessat ratio acceptionis personarum: quia non distribuitur commune bonum, sed commune onus. vnde non cadit acceptio personarum, nisi fortè plus grauando illum cui datur. Ex parte verò Ecclesiæ cui superintendere debet, non est maius debitum quàm vt sufficienter ei prouideatur: quia Ecclesia ipsa non habet ius nisi ad sufficientem habendum pastorē. Cuius signum est quòd non est locus querelæ, si sufficienter ei prouidetur. Et ad supererogationis bonū spectat si plus quàm sufficiens ei detur pastor. Et confirmatur ex cæteris prouisionibus officialium quæ in mundo fiunt. nam vbique rectæ rationi satisfit, si sufficienter ciuitatibus, oppidis, regnis, administra-

tionibus &c. prouidetur. Et ad hãc ſententiã ducunt duæ prius inductæ rationes pro ſufficientia doctrinæ ab Apoſtolo traditæ: ambæ enim multum cogunt. Et ſi contra hanc ſententiã appli cetur illa ratio: ſcilicet quare eligis ex duobus ſufficiẽtibus minus dignũ? in prõptu eſt reſponſio, quia nõ teneor eligere meliorem: ſed multis exiſtentibus ſufficientibus, locus eſt gratificationi: nec eſt acceptio perſonarũ præeligere minus dignum, ſufficientẽ tamen, ſed libertas. Et ſi his adiunxeris quòd temporalia bona annexa paſtoralibus officijs, per accidens cõcurrunt: videbis conſequenter quòd omnibus cõſideratis ſufficit etiam in foro cõſcientiæ ad euitandũ peccatum mortale, eligere ſufficiẽtem: quoniã actus humanus iudicandus ex ſuo genere eſt ſecundum id quod eſt per ſe: quãuis peccet poſtponẽs digniorem ſine rationabili cauſa: eo quòd præter rectam rationẽ temporalia annexa diſpenſat. Et ſpectat hoc peccatum reductiuè ad vitium acceptionis perſonarum. Dico autem reductiuè, quia non per ſe in hoc actu fit diſpẽſatio bonorũ, ſed per viam concomitantiæ. Qui autem in diſpenſatione paſtoralium officiorum ad bona dignitatis, honoris, præbendæ &c. diſpenſanda directè reſpiciunt, vitium per ſe incurrunt acceptionis perſonarum, ſi digniorem abſq; rationabili cauſa poſtponunt: & mortale conſequenter ex ſuo genere peccatum incurrunt. Hæc de quarto.

AD quintum de tertia CHRISTI tẽtatione dicitur quòd diabolus eadem intentione qua duas præcedentes tertiam exercuit tẽtationem: ſcilicet animo explorandi ſi ille homo erat filius Dei. Sed non eodem modo ingeſsit tertiam quo ingeſſerat primã & ſecundam: nam illas apertè

hoc

hoc cõtinentes proposuit, istam verò occultè & insidiosè ad hoc tendentẽ. Cogitauit enim apud se callidus tentator per viam indirectã explorare si IESVS erat filius Dei. Et duo proposuit (alterum est se daturũ ei omnia regna mũdi: alterum vt cadens ipsum adoraret) non ea intẽtione vt putaret IESVM daturum consensum ad hæc: sed quòd respondendo ad primũ induceret IESVS aliquam authoritatẽ scripturæ: ex qua omnia regna mundi esse ipsius IESV haberetur, ac per hoc non indigeret vt à tentatore sibi darentur: & sic tentator haberet intentam explorationem. Vel saltem respondendo ad secundum, increpareet eum dicens, Tu debes me adorare, non ego te: vel aliquid simile, ex quo haberet intentam explorationem. Sed Dominus versutias eius præuidens, nihil de Messia dixit: sed tantum de adoratione Dei solius. Hæc de quinto.

Villiaci: in die sancti Viti.
M. D. XXIIII.

Expliciunt præclarissimæ XII. Ientaculorum noui Testamenti Reuerendiss. domini THOMAE de Vio Caietani Cardinalis S. XYSTI lucubrationes: quibus circiter LXIIII. difficiles noui Testamenti sentẽtiæ subtilissimè enarrantur.

LVGDVNI,
EXCVDEBANT IOANNES ET
FRANCISCVS FRELLO=
NII, FRATRES.

1545

Christus vixit super terram sedium
humanitate triginta duos
annos, menses tres, dies decem
vide regulam 116